8



Ex Bibliotheca
jor Coll. Rom.
Societ. Jesu

49
D
3

8-8-e-16-15
18-9-C-18

Digitized by Google

Google

BIBLIOTHECA DOMESTICA.

Digitized by Google

FRANC. XAV. MANNHART

SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM AC ERUDITIONIS STUDIOSORUM USUI INSTRUCTA ET APERTA.

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS ACCOMMODATUM.

TOMULUS I.

DE ARTIBUS ET SCIENTIIS UNIVERSE, AC DE GRAMMATICA SEU LINGUA LATINA.

Biblio. Scr. Coll. Rom. Soc. Jesu




CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.

MDCCLXII.





Privilegium Cæſareum.

Cum D. Matthæus Rieger, Bibliopola Auguſtanus, typis vulgare deſideret Librum, cui titulus: Bibliotheca Domeſtica *&c. a P. Franciſco Xaverio Mannhart, Societatis Jeſu Sacerdote, idiomate latino conſcriptum, Ego* Mathias Stöttlinger, *ejusdem Societatis per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis poteſtate ad id mihi facta ab A. R. P. N. Laurentio Ricci, univerſæ Societatis Jeſu Præpoſito Generali, Eidem ad hanc primam duntaxat dicti Libri Editionem facultatem impertio, ſimulque communico Privilegium Cæſareum, quo Bibliopolis atque Typographis aliis interdicitur, ne Librum ullum, a Noſtris ſcriptum, citra conſenſum Superiorum recudere, aut intra fines Sacri Romani Imperii inſerre præſumant. In cujus rei fidem has Ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto officii mei Sigillo munitas dedi. Auguſtæ Vindel.* 19. *Martii* 1762.

(L.S.)

MATHIAS STÖTTLINGER.



 ELEN-

ELENCHUS
TOMULORUM ET LIBRORUM.

Tom.

Tom. VI.

Mathesis de Astronomia.

Lib. X. *Medicina.*

Tom. VII.

Lib. XI. *Jurisprudentia Civilis & Ecclesiastica.*

Tom. VIII.

Lib. XII. *Theologia Positiva, Polemica, Moralis, Scholastica.*

Tom. IX.

Theologia Dogmatica & Historica.

Tom. X.

Lib. XIII. *Critica.*

Lib. XIV. *Res Antiquaria Hebræorum.*

Tom. XI.

Res Antiquaria Græcorum, Romanorum, & Germanorum.

Tom. XII.

Index rerum & verborum Generalis, & singularis Scriptorum.

EPITOME
LIBRI I.
DE
ARTIBUS ET SCIENTIIS UNIVERSE.

PROOEMIUM.

Ordo artium & scientiarum, quas præsens Opus Libris XIV. complectitur. Oeconomia, quæ in singulis libris, atque in arte ac scientia qualibet tractanda servatur. Varii libri, qui Bibliothecæ nomine insigniti hucusque prodierunt. Bibliothecæ hujus character, & ratio stili. Finis huic operi præfixus.

CAPUT I.
ENCYCLOPÆDIA SCIENTIARUM ET ARTIUM.

§. I.

§ I.

Peregrinatio scientiarum & artium.



I.

Origo omnium scientiarum & artium in Deo quærenda est: ab hoc illarum semina in Adamum velut transfusa fuerunt. Nepotes ejus ac posteri scientias labore acquirere debebant. Adamus non solum parens, sed etiam magister humani generis a Deo constitutus est.

II.

Adamus prima principia & elementa omnium scientiarum & artium tradidit nepotibus suis. Falsa jactantia Ægyptiorum ac Græcorum de inventione artium & scientiarum, quam sibi adscribunt.

III.

Prima peregrinatio artium & literarum a Chaldæa in Ægyptum: altera ex Ægypto in Græciam: tertia e Græcia Romam, & inde in reliquas Europæ regiones.

§. II.

Peregrinatio per artes & scientias.

IV.

Origo Grammaticæ. Linguæ primigeniæ. Latinæ linguæ tres ætates, ejusdem instauratio. Poesis natales: Ejus cultus apud Hebræos, & Græcos, Poetæ Græci & Latini insignes. Rhetoricæ initium cum societate hominum: tres illius ætates. Celebres Oratores Græci & Latini.

V.

Philosophiam primus explanavit Moses in Pentateucho. Ægyptiorum Philosophia ab Abrahamo & ex libris Mosis: Græcorum ab Ægyptiis: Romanorum a Græcis. Christiani Philosophia usi sunt ad confutandos sophos ethnicos. Galli, Itali, Germani multis experimentis & systematibus eam exornarunt. Mathesin, Astronomiam maxime Adamus, Abrahamus & Moses coluerunt: Ægyptii & Græci promoverunt

runt hoc ſtudium: Romæ aliquamdiu viguit: inſtaurata eſt in Germania, Gallia &c. potiſſimum per Societates Regias. Medicinæ Author ipſe Deus: Medicorum mentio honorifica in SS. Literis. Tres ſectæ Medicorum. Schola Salernitana.

VI.

Jus naturæ ab Adamo traditum poſteris: Jus Oeconomicum per familias: Jus gentium familiis in gentes excreſcentibus: Jus Civile & Politicum conſtructis civitatibus: Jus profanum in familia Caini, ſacrum in Sethi poſteritate viguit. Moſes & Aaron in lege ſcripta primi Doctores juris ſacri & profani. Legislatores inter gentes. Jus Romanum in formam redactum a Juſtiniano: Jus Eccleſiaſticum a Gregorio IX. Theologica ſcientia Adamo infuſa, & propagata in poſteros. Gentilium theologia. Theologia veteris & novi Teſtamenti. Hæc ad methodum ſcholæ traducta a S. Damaſceno & D. Anſelmo: perfecta a Petro Lombardo & D. Thoma.

§. III.

Artium & ſcientiarum arcta inter ſe neceſſitudo.

VII.

Grammaticæ neceſſitudo cum aliis ſcientiis : item Poeſis, Hiſtoriæ, ac Rhetoricæ.

VIII.

Nexus Philoſophiæ cum aliis ſcientiis: item Medicinæ, Juriſprudentiæ, ac Theologiæ.

IX.

Proponuntur argumenta contra Encyclopædiam, ſeu ſtudium plurium ſcientiarum & artium. Quæſtio, an melius ſit uni arti vel ſcientiæ ſe totum impendere, quam pluribus aut omnibus.

X.

Diſſolvuntur argumenta, & pro Encyclopædia deciditur. Tuſculanum Ciceronis, Platanum Socratis, Saturnalia Macrobii, ubi diſputatum de omni literarum genere. Academiæ Literatorum. Cultores Encyclopædiæ.

CAPUT

CAPUT II.
SEDES ARTIUM ET SCIENTIARUM.

§. I.
Academiæ ac ſcholæ publicæ.

XI.

Deſcriptio Academiæ Athenienſis inter ethnicos. Academia Platonis, & Lyceum Ariſtotelis. Ciceronis Academia in agro Neapolitano, ejusque Lyceum in fundo Tuſculano. Deſcriptio Academiæ Alexandrinæ inter Chriſtianos: in hac primis ævi Chriſtiani temporibus SS. Literarum doctrina tradebatur. Celebres illius Profeſſores, Pantænus, Clemens, Heraclas, Origenes &c.

XII.

Deſcriptio Academiæ Romanæ: Ejus ſtatus tempore Reipublicæ ac Imperii. Athenienſis Academia Romam migrat. Sanctio Codicis Theodoſiani circa Studioſorum & Profeſſorum diſciplinam in

Roma-

Romana Academia. Hujus incrementum ſub variis Pontificibus. Collapſam reſtituit Paulus III. Præter Archigymnaſium Gregorius XIII. aliud ampliſſimum erexit ſub cura Patrum Societatis. Idem Pontifex per omnem fere Europam Seminaria Studioſorum inſtituit. Oratio Stephani Tuccii in laudem hujus Pontificis.

XIII.

Deſcriptio Academiæ Pariſienſis, & Sorbonæ: Ejus fundamenta jecit Carolus M. Cladem paſſa eſt ob turbas inter cives & academicos. S. Ludovicus ſedatis turbis eam inſtauravit. Sorbonæ inclytum Collegium ſub auſpiciis S. Ludovici erectum. Academia a variis Regibus amplificata. Viri præſtantiſſimi, qui ex illa prodierunt.

XIV.

Deſcriptio Academiæ Viennenſis. Ejus Conditor Fridericus II. Imp. Amplificata ab Alberto Archiduce, & Maximiliano I. Quatuor Facultates in eam induxit Ferdinandus I. Singula-

rum

rum Facultatum ſancti Patroni conſti-tuti. Rectoris dignitas & poteſtas. MARIA THERESIA, *Imperatrix & Regina Academiam omni genere li-terarum & Profeſſorum locupletavit.*

§. II.

Copia & præſtantia Academiarum, Gymnaſiorum & Scholarum.

XV.

Academiæ præcipuæ totius terrarum orbis ſecundum ſeriem ſeculorum, & annorum, eorumque Conditores.

XVI.

Academiæ fere omnes e ſcholis pri-vatis originem duxerunt. Imperato-res vetuerunt divinas, humanasque le-ges doceri, niſi in celebrioribus civita-tibus, uti Romæ ac Conſtantinopoli. Academiæ quare dicantur Univerſita-tes. *Solonis judicium de Gradibus ho-norum in re literaria. Cauſſa, cur Gradus honorum in Academiis conſtitu-ti fuerint. Auctores iſtorum Gratia-nus Bononiæ, & Petrus Lombardus Pa-riſiis*

risiis. Adprobantur in Concilio Viennensi. Olendorpii philippica in contemptores horum Graduum.

XVII.

Gymnasia unde dicta sint. Gymnasia occuparunt primum Philosophi: tum Rhetores: demum relicta sunt mansuetioribus Musis, severioribus Academias occupantibus. Schola unde dicta. Antiquitas, utilitas, & necessitas scholarum publicarum.

§. III.

Critice supra scholas publicas.

XVIII.

Referuntur argumenta quorumdam contra scholas publicas, ac dilucide refelluntur.

XIX.

Argumenta contra scholarum multitudinem confutantur: restringendam tamen esse certis conditionibus hanc multitudinem ostenditur.

CAPUT

CAPUT III.

VIA AD ARTES ET SCIENTIAS COMPARANDAS.

§. I.

Adjumenta ad illas.

XX.

Adjumentum primum, ut Magistri & Professores optimi constituantur, qui in literis & moribus excellunt. Alexandri Praeceptores duo: Lysimachus adulator, & Aristoteles philosophus. Exempla egregiorum tum praeceptorum tum discipulorum.

XXI.

Liberalitas Principum tam ethnicorum, quam Christianorum in remunerando doctores artium & scientiarum tum reditibus tum honoribus. Exempla gratitudinis discipulorum erga Praeceptores suos.

XXII.

Adjumentum secundum libri & bibliothecae. Elogium librorum & bi-

bliothecarum. Primi bibliothecarum ſtructores. Deſcriptio Bibliothecæ Alexandrinæ ſtructæ a Ptolemæo Philadelpho, Ægypti Rege.

XXIII.

Bibliothecæ Romanæ: Aſinii Pollionis, Atrium libertatis in monte Aventino, Auguſti Octavia & Palatina, prope templum Pacis, Trajani ſeu Ulpia, Capitolina. Ornamenta bibliothecarum.

XXIV.

Bibliotheca Vaticana, inchoata a primis Pontificibus: ab Hilario Papa in ordinem redacta, aucta a Nicolao V. & Sixto IV. perfecta a Sixto V. Subinde ab aliis Pontificibus locupletata numismatibus & manuſcriptis. Scriptores de hac Bibliotheca. Sacrum Muſeum non procul a Vaticana Bibliotheca extructum a Benedicto XIV.

XXV.

Bibliotheca Vindobonienſis Cæſarea. Hanc primus inſtruxit Maximilianus I.

manu-

manuſcriptis & libris undique collectis: Auxerunt ſucceſſores coemptis aliis plurimis bibliothecis privatis: ornavit magnifice Carolus VI. nova fabrica, aliaque pretioſa ſuppellectile. Inſignes Præfecti hujus bibliothecæ.

XXVI.

Bibliotheca Pariſienſis Regia. Bibliothecæ privatæ Caroli M. Ludovici Pii, & Caroli Calvi. Bibliothecam publicam primi fundarunt Pariſiis Carolus V. & Carolus VI. Typographia in Galliam introducta. Promoverunt & amplificarunt hanc bibliothecam Reges alii, præſertim Ludovicus XIII. & XIV. Viri præſtantes, qui profecerunt ex hac bibliotheca.

XXVII.

Scriptores de bibliothecis univerſe. Bibliothecæ aliæ magis conſpicuæ in diverſis Europæ regionibus. Societates & Academiæ ſcientiarum, earumque præſtantia & utilitas.

§. II.

Detrimenta artium & scientiarum.

XXVIII.

Libertas in discendo & docendo noxia. Nimia in tradendis scientiis festinatio. Vanum placendi studium.

XXIX.

Superbia & vana gloria vitium literis inimicum. Novandi studium plerumque periculosum. Philautia seu adulatio indigna homine literato.

XXX.

Vaga & incauta lectio librorum. Differitur de pernicie, quam inferunt libri falsis principiis, perversis dogmatibus, & calumniis pleni, qui passim & impune circumferuntur. Platonis regula de censura librorum.

XXXI.

Neglectus disciplinæ & virtutis. Quæstio, an magnæ doctrinæ cum magna religione, ac literis cum virtutis studio bene conveniat. Viri doctissimi ple-

plerumque etiam religiosissimi. Statuta Academiæ Romanæ ad disciplinam pertinentia. Leges perpetuæ Gymnasiorum Soc. Jes. Sodalitates Marianæ in Academiis & Gymnasiis S. J. institutæ ad conservandam pietatem in literarum studiosis. Caussæ deficientis disciplinæ.

CAPUT IV.

INGENIORUM RATIO HABENDA IN ARTIBUS ET SCIENTIIS.

§. I.

Cultura ingeniorum.

XXXII.

Quid sit ingenium. Diversitas ingeniorum, uti facierum: unde proveniat? Ingenia juvenum probe examinanda sunt, antequam ad scholas admittantur. Veterum de hac re exemplum. Quinam a Gymnasiis arcendi sint.

XXXIII.

Huarti opinio de ingeniorum habilitate ad studia. Quænam ingenia sint apta ad varias disciplinas. Modus

dus tractandi juvenum ingenia. Mediocria ad sublimen scientiæ gradum promoveri possunt per industriam. Exempla, quibus omnia hæc comprobantur.

§. II.

Moderamen ingeniorum.

XXXIV.

Magna ingenia maxime opus habent moderationis freno. Libertas ingeniorum magnam literis & literariæ Reipublicæ stragem affert, ut experimur. Quorundam ingeniorum audacia, aliorum pertinacia, multorum novandi studium perstringitur.

XXXV.

Disputandi institutum nobile. Quæ olim disputandi ratio; quæ nunc vigeat. Ars & usus speculationum nimius obest doctrinæ: Possevini hac de re judicium. Magnus hodie scribentium numerus. Scriptionis virtutes & vitia. Scriptores debent esse similes apibus, non fucis.

Quæ-

Quæstio, an typographia inventa plus nocuerit, quam profuerit.

XXXVI.

Recta in studiis ratio & methodus tenenda. Probari non potest continua in methodo studendi mutatio. Non est universe probanda veterum methodus in literis, multaque exoleverunt cum tempore. Dotes bonæ methodi: debet esse ordinata, optime excogitata, universalis, apta ut ætatem ferat. Ratio studiorum Romæ confecta a Patribus Societatis Jesu.

CAPUT V.

GUSTUS LITERARUM.

§. I.

Gustus bonus & sobrius.

XXXVII.

Gustus literarum in quo consistat. Illius semina nobis insita sunt a natura: perficitur tamen usu, & consuetudine cum hominibus cultis, quin etiam arte.

XXXVIII.

XXXVIII.

Dotes hujus gustus: seligit illa, quæ optima sunt: in omnes rite functiones se se insinuat: monstrat, quid in lucubrationibus bonum vel malum sit: liberat hominem a præjudicatis opinionibus.

§. II.

Gustus malus & corruptus.


XXXIX.

Gustus corrupti radix. Dominatur in omnes fere scientias, in Grammaticam, Poesin, Rhetoricam, Philosophiam, Jurisprudentiam, & Theologiam.

XL.

Caussæ corrupti gustus: mala institutio: inconsulta lectio librorum: festinatio in literarum studio: pravum exemplum Novatorum: corruptio morum in aliis vitæ actionibus. Parænesis ad Magistros, ut bonum & sincerum gustum literarum discipulis instillent. Sine hoc parum vel nihil in omnibus artibus & scientiis proficitur.

LIBER I.




BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

LIBER I.

DE ARTIBUS ET SCIENTIIS UNIVERSE.

PROOEMIUM.

De bonis artibus & ſcientiis univerſe acturus, priusquam ad ſingulas earum deſcendam, ante omnia illud a me fieri oportere video, quod Architecti grandis alicujus fabricæ faciunt, quorum primus labor eſt, ut generalem quamdam illius ideam, quam animo conceperunt, vel adumbratam in charta, vel e ligno ſculptam exhibeant: tum vero de arena, calce, lapidibus, tignis, tegulis, ferramentis, omnisque generis ſupellectile, ſtructuræ vel neceſſaria, vel utilitati aut ornamento ſervitura,

ut in promptu ſit, ſolicite proſpiciunt: demum his inſtructi præſidiis alacres manum operi admovent, jactisque fundamentis eundo per partes ab imo ad ſummum deſignatam fabricam perducunt. Eſt itaque inſtituti mei ratio haud alia, quam conſtruere *Bibliothecam*, facile ac levibus impenſis parabilem, mole ſua non admodum vaſtam, quæque ſemper ad manus eſſe poſſit; atque idcirco *Domeſticam* adpellare placuit. Complectetur autem hæc Bibliotheca, non librorum numero ſed eruditionis ſtudio metienda, præcipuas, quarum præſente ſeculo uſus eſt, artes atque ſcientias, nimirum præmiſſo illarum adparatu *Grammaticen* ſeu *Linguam Latinam: Poeſin: Rhetoricam* ſeu *Eloquentiam ſacram & profanam: Philoſophiam naturalem ac moralem: Matheſin* ejusque ſpecies quatuor plus eruditionis præſeferentes, *Geographiam, Architectonicam civilem ac militarem, & Aſtronomiam: Hiſtoricen: Rem Numariam & Diplomaticam: Medicinam: Jurisprudentiam civilem & Eccleſiaſticam: Theologiam tum Poſitivam, Polemicam & Moralem, tum ſcholaſticam, hiſtoricam, & Dogmaticam: artem Criticam,* ac demum *Rem antiquariam*, ſeu antiquitates Hebræorum, Græcorum, Romanorum,

&

& Germanorum, ita ut quatuordecim libris, in quos eam partiri libuit, absolvatur. Equidem Matthæus Vayerus (a) Principum ac Nobilium eruditioni ac gustui centum librorum Bibliothecam sufficere asseruit. Verum Agrippa nonnisi duos commendat: *Duos tibi ait* (b) *præcipue legendos dabo unum Latinum Plinium, alterum Græcum Plutarchum. Hi duo crede mihi, præ cæteris sufficiunt ad reddendum hominem in omni scientiarum genere utraque lingua doctissimum.* Ego nec centum omnino, nec duobus duntaxat libris Bibliothecam hanc Domesticam instruendam duxi, sed velut media incedens via quatuordecim ad institutum meum delegi, eosque non admodum amplos, in quibus tamen res e plurimis libris non mediocri studio selectæ conspiciendas sese præberent.

Oeconomia illorum hæc est: in singulis præmitto, quæ ad cujusvis artis aut scientiæ, quæ tractatur, commendationem atque ad necessitatem utilitatemve demonstrandam faciunt: Tum historiam ejusdem, seu ortum, progressionem, ac incrementum a primis incunabilis ad hæc usque

(a) *In epistola schola sua Principum subnexa.*
(b) *Lib.* 3. *epist.* 32.

usque tempora recto ordine deductam exhibeo: Postmodum sequitur œconomia singularis & cuique propria, in qua velut in dissecto secundum Anatomiæ leges corpore humano, membra, viscera, structura, situs & ordo, totumque artificium illius artis aut scientiæ ante oculos ponitur: Mox produntur ea, quæ in quovis genere eruditioni serviunt, insignia sapientum dicta & facta, experimenta, monumenta, & Auctores, qui in ejusmodi disciplina versati præclare scripserunt: Denique finem imponit Critice temporibus nostris accommodata, qua quæ perperam fiunt in singulis, deteguntur, quæ vero sapienter ac provide, eo quod merentur elogio decorantur. Non me latet, fuisse plures, ingenio ac eruditione præstantes viros, qui volumina & libros in lucem ediderunt, Bibliothecæ nomine vel alio, qui huic æquiparatur, insignitos, quales sunt: *Bibliotheca selecta, & Adparatus sacer eruditissimi Antonii Possevini S. J. Adparatus Eruditionis Michaelis Pexenfelderi S. J. Magnum vitæ humanæ Theatrum Laurentii Beyrlinkii. Bibliotheca Latina, Græca, & Antiquaria Joan. Alberti Fabricii. Bibliotheca Vaticana Angeli Rochæ, commentario de variis artibus & scientiis illustrata. Polybi-*

lyhiftor Danielis Georgii Morhofi de variis ad omnes difciplinas fubfidiis. Bibliotheca Bibliothecarum Philippi Labbei S. J. Bibliotheca Bibliothecarum MSS. ad quodvis literaturæ genus Bernardi de Montfaucon. · Huc quoque pertinent *Monumenta Trevoltienfia. Hiftoria Academiæ Regiæ Scientiarum Parifienfis. Refpublica literaria Amftelodami aperta. Bibliotheca Britannica. Acta Eruditorum Lipfienfium. Bibliotheca vetus & moderna le Clerc. Hiftoria Academiæ Regiæ fcientiarum & artium Berolinenfis.* Non minus *Lexica fingularia de omnibus fere artibus atque fcientiis.* Hæc inquam me non latent. Verum ex iftis aliqui duntaxat aliquas harum, quas commemoravi difciplinas attigerunt: alii eas folum ad fua, quibus vixere, tempora, a noftris, quæ vivimus, multum jam remota perfecuti funt, dum interea longis, ut ita dicam, paffibus ultra progreffæ, maximisque auctæ fint incrementis: alii Auctorum in quavis claffe materiarum, quas commentati funt, fyllabum potius quam ipfarum fcientiarum naturam, indolem, & dotes exhibent: rurfus alii eruditionis accumulandæ ftudiofi a via regia velut in campos & fylvas latiffime exfpatiantur, nec firmo pede in ipfis difciplinarum ady-

tis consistunt: alii quidam Acatholicorum, vel non bene Catholicorum, non paucis sectarum suarum erroribus, ac intemperantibus crisibus libros suos infarciunt: demum alii annorum vel dierum ordinem sine partium nexu & doctrinæ cohærentia secuti non tam artium & scientiarum œconomiam, quam illarum Lexica & Ephemerides proponunt. Meum hoc in negotio consilium & labor fuit, strictim & pede presso, ut loquimur, cujusvis disciplinæ vestigiis inhærere, eaque quæ ad illam seu explanandam seu illustrandam præcipue videbantur pertinere, absque ambagibus & episodiis ordine recto, & æquabili sermonis tractu exponere, partes inter se colligare, membra jungere membris, atque in unum corpus redigere. Nimirum id, quod facere solent, qui Bibliothecæ instruendæ operam navant, id inquam ipsum & mihi hac in Bibliotheca faciendum duxi. Componunt illi eam e libris, non quos ipsi scripserunt, sed alii: de suo autem conferunt selectum, ordinem, & œconomiam, ut omnes libri sint rite dispositi, collocati debito ordine, catalogis & indicibus instructi. Hunc morem imitatus collegi e probatis Auctoribus, quos in optimis Bibliothecis reperi, varia de singulis his-

hisce artibus atque ſcientiis, quæ homine erudito vel erudiendo digna mihi videbantur, & in adverſaria retuli per plures annos, quibus tunc quidem aliis ſtudiis negotiisque eram occupatus. Sæpiſſime ipſis Auctorum verbis utor, ita ut quod refero, illorum ſit, meum vero, quod ad operis totius œconomiam pertinet.

Nolim autem, ut quis exiſtimet, id mihi propoſitum eſſe, ut quamlibet ſcientiam & artem penitus exhauriam, totumque illarum ærarium expilem. Hic profecto & Scribenti & Legenti labor infinitus foret, atque ut Horatius canit, *magno promiſſor hiatu* merito cenſeri poſſem: Neque tamen obiter & inſtar canis Nilum lambendo illas percurram, ita ut quod multis Jurisconſultorum objicitur, librorum Elenchus, aut quod Veteres dixere, *Epitomator* eſſe videar. Mediam tenere viam conſtitui, ſicque negotium hoc ſatis delicatum tractare, ut licet numeris omnibus abſoluta cujusque diſciplinæ notitia vel inveniri, vel acquiri ex hoc Opere haud poſſit, ſatis perfecta tamen ad formandum de ſingulis ſanum judicium idea facili labore comparari queat; id quod librorum iſtorum totiusque Bibliothecæ character proprius eſto. Dum autem eam tam doctrinæ quam eruditio-

nis ſtudioſis, ut in fronte Titulus præfert, ſcribere ac aperire decrevi, noſſe oportet, diſcrimen intercedere ſat magnum & notabile Doctos inter & Eruditos hoc ſeculo noſtro, quamvis olim docere ac erudire res eadem fuerit, & hominem doctum ac eruditum eadem decempeda metiri conſueverint majores noſtri. Eſt namque hodie Doctorum gens non adeo numeroſa, frequens Eruditorum. Quippe Doctos vocare æſtimareque ſolemus illos, qui in una alterave ſcientia vel arte aut pertinaci ſtudio, aut ingenii tanquam ſoli bonitate ita profecerunt, ut a ſuperficie ad fundum usque penetrando omnes ejus apices, regulas, placita, & arcana poſſideant, totamque ſcientiam vel artem illam quaſi ſub poteſtate habeant: Eruditos autem nuncupamus, qui nullibi ſtabilem figentes pedem per ſcientias veluti apes per florum germina vagantur, ubique mellis aliquid colligunt, & in apiarium ſuum deportant; inde cellulas ſibi conſtruunt, dulcemque eruditionis favum componunt, etſi fundo careant, dicere volo, licet in nullo ſcientiarum illarum genere ſint probe riteque fundati, ac in arte Magiſtri. Exemplum huic meæ adſertioni adprime aptum ars pingendi, ſeu quam *Pictoriam* vocat Ulpianus, ſuppeditat.

ditat. Qui excellere in ea cupiunt, uni plerumque vel alteri artis hujus speciei sese totos impendunt, hi topographicis, illi scenographicis, isti typicis, alii militaribus, alii historicis repræsentationibus, in quibus quoniam ingenium omne, studium, colores & penicillum ad id, quod sibi quisque præfixit, adplicant, celebrium Pictorum nomen ac famam adipiscuntur, ad quod honoris culmen rarissimi pertingunt, qui omnis generis omniumque rerum imaginibus depingendis operam suam manumque adhibent, sed ultra mediocritatis limites vix unquam eluctantur.

Jam vero ea, quam designavi, Bibliotheca & ad doctorum & ad eruditorum classem adspirantibus, nisi mea me fallat opinio, prodesse poterit: his quidem, ut suæ seu fami seu siti nonnisi rerum varietate, scientiarum omnium notitia, ac operum mirabilium conspectu satiandæ, nobilique literarum gustui facere satis possint: illis vero, ut præter eam, in qua suavi quodam & tacito naturæ ac indolis impetu abrepti excellere cupiunt scientiam, aliarum quoque si non plenam cognitionem, perfectam saltem ideam, & ad æquum judicium formandum aptam comparare sibi queant, qua illorum do-

ctrina eruditioni ſociata multum & juvetur & ornetur. Præter hæc conſulere ſtudui publicæ plurimorum ſive neceſſitati ſive utilitati. Sunt enim, quos curta domi ſupellex impedit, quo minus de alia, ſcilicet librorum plurium ſupellectile ſibi proſpicere poſſint, ſaltem illorum, qui ad uſum quotidianum præſto ſint: Sunt & alii, quos officii ratio aut negotiorum moles a multorum Auctorum lectione prohibent, quosque pretioſum tempus a publicis bibliothecis frequentandis arcet. Utrisque proviſum erit hac Bibliotheca domeſtica & privata, non adeo vaſta, ut non per horas etiam ſolum ſubſecivas intra unius anni ſpatium facile evolvi poſſit ac revolvi. Denique non modicam induſtriæ partem in ſtilum abſumpſi, ut latinitate pura & nitida, quantum quidem multa lectione, exercitationeque adſequi a teneris annis hucusque mihi licuit, Bibliotheca hæc in lucem prodiret, tum ne luſtrantium ac legentium oculos veſtitus offenderet, tum ut ipſum linguæ latinæ, qua ſi ſincera ſit, & aurei argenteive ſeculi æmula, nihil excellentius eſſe poteſt ad animi ſenſus cum fulgore quodam exprimendos, ut inquam ipſum latinæ linguæ ſtudium, ejusque pretium commendaretur. Neſcio enim,

enim, qua ratione mos inoleverit, ut hodie omnes propemodum artes & ſcientiæ in alienis a veteris ævi inſtituto, & vernaculis linguis, quaſi peregrinis indutæ veſtibus in publico compareant, quarum aliquæ vel non ſatis aptæ ſunt ad dignitatem illarum ſuſtinendam, vel mollitie ſua levitateque enervant robur, & integritatem peſſumdant, vel quum nonniſi ex linguæ latinæ corruptela ſint natæ, hanc ſenſim e regno literario penitus eliminant. Quam paucos invenire eſt, qui hodie in communem ſermonem ac familiare colloquium ſecum adferant linguam latinam? Si jam id quoque fiat, ut artes & ſcientias libri vernacula in lingua nobis addiſcendas offerant, quanta non latinitatis ſtrages cum tempore conſequetur?

Hac igitur uti lingua, tanquam bonis artibus propria decrevi, quamvis res plena difficultatis ſit, & perquam ſalebroſa, ſcientias & indole ſua, & quam tractant, materia tam diverſas eodem ſermonis hujus puri caſtique genere complecti. Non equidem auſim id ſpondere pro univerſo opere iſto. Quippe non raro contingit, ut inſinuent ſe etiam non invitatæ voces quædam, quæ in Latio civitate non gaudent: frequentius, ut aliis in libris minus

nus fincera latinitate fcriptis lectæ velut jure quodam fuo fefe intrudant. Nihilominus magnam hujus rei curam me habuiffe in fingulis fateor, ita tamen ut religioni haud duxerim mihi, fingulares & veteri Latio ignotas quandoque voces, quas *terminos technicos* vocant, adhibere, ubi opus effe credebam. Aliter enim cum Grammaticis, aliter cum Philofophis, aliter cum Mathematicis, aliter cum Medicis, cum Jurisperitis & Theologis aliter loquendum effe cenfui, & cuique quod fuum eft, dare conftitui; quamvis & hoc ipfum meo quidem judicio latini fermonis feu integritati feu fplendori nihil admodum officiat, quum ingenuitatis ac libertatis quædam dos hæc fit, quam non homines folum, fed & artes ac fcientiæ fibi vendicant. Neque etiam eodem in omnibus difciplinis exponendis ftili tenore ac fermonis curriculo utendum effe exiftimavi: Aliæ enim fimplex & argutum, ut Grammatica & Philofophia, aliæ amœnum ac ornatum, ut Poefis & Eloquentia, aliæ grave ac fublime, ut Jurisprudentia & Theologia, dicendi genus & ftilum non folum amant, fed etiam exigunt; quæ tamen varietas æquabilitatem ftili ac fermonis tantum abeft, ut turbet, ut fuo modo etiam perficiat.

No-

Novimus enim, Tullium, hominem in Latio Patricium ac Eloquentiſſimum, hac ipſa varietate non tantum fuiſſe uſum, ſed maximam inde laudem promeritum. Certe eleganter non minus quam vere ſcripſit Alphonſus Gartia (c): „Informandi ſtili rationem nemo quidem ex „Latinis Oratoribus ante ipſum Cicero„nem aſſecutus fuerat. Nam qui ætate „Craſſi & Antonii nomen aliquod ex elo„quentiæ laude ſibi compararunt, cum „ad hanc dicendi varietatem, propter „quam ad tantum honorem vivente Ci„cerone aſcendit eloquentia, aſpirare mi„nime poſſent, cunctas res natura & di„gnitate diſpares, & longe lateque diſſi„miles uno orationis filo pertractabant. „Cicero vero, quæ ejus unius inter cun„ctos latinos immortalis gloria fuit, pa„rem rebus orationem & æqualem omni„no reddere cœpit, cum parva ſubmiſſe, „mediocria temperate, & ſumma gravi„ter novo quidem & inaudito Romanis „exemplo diceret.„

Atque hæc præfari viſum eſt, & in ipſo totius Operis limine conceptam animo ideam fabricæ, Bibliothecæ inquam hujus Domeſticæ, in conſpectum dare. An huic reſpondeat res ipſa, meum non eſt ſed

(c) *Lib. de formando ſtilo c. 1.*

ſed Lectoris, ferre judicium, mihique retro poſt tabulam cum Apelle ſtandum eſt. De hoc tamen certum illum eſſe jubeo, laborem hunc, qualiscunque demum eſt, non ad famæ aut nominis fumum aliquem captandum, neque ſubſellii inter ævi noſtri Viros literatos, & fortes ut vocant ſpiritus occupandi gratia, neque ad vanam animi oblectationem, aut eruditionis oſtentationem, neque ad aliorum doctiſſimas hoc in negotio lucubrationes critico dente carpendas, multo minus ad lucrum Religioſæ vitæ profeſſionem indecens inde percipiendum (quæ res non paucorum calamos ad ſcribendum hoc noſtro ſeculo allicere atque acuere ſolent) non inquam hos in fines laborem hunc ab auctore ſuo ſuſceptum fuiſſe. Alia longe ſunt, quæ illius animum invitarunt, & ſcribendi ſuggeſſerunt conſilium, ſcilicet una ex parte, ut dum hodie tot libri de rebus ad ſcientias & bonas artes pertinentibus circumferantur, qui partim hæreſum ſordibus ad incautos lectores decipiendos contaminati, partim heteroclitis opinionibus, paratragædiationibus, & immoderatis criſibus ad mentes falſis ideis implendas ſunt referti, eſſent denique alii libri, e quibus ſana doctrina ſimul ac eruditio ſobria peti,

atque

atque de ſingulis artibus & ſcientiis rectum & æquum ferri judicium poſſit: ex altera vero, ut quæ auctor multorum annorum ac vitæ ſuæ inter labores ſcholaſticos fere continuos transactæ impenſis ſeu docendo ex cathedra, ſeu legendo ac meditando ad pulpitum collegit, ea tum ad Dei gloriam, ſine cujus habita ratione prima nihil recte agitur, tum ad Reipublicæ literariæ utilitatem, cui quam ſcriptor profitetur, vitæ conditio ex aſſe devota eſt, publici juris faceret.



CAPUT I.

ENCYCLOPÆDIA SCIENTIARUM ET ARTIUM.

§. I.

Peregrinatio Scientiarum & Artium.

I.

Harum omnium originem altius repetenti dubium eſſe non poteſt, quin a Deo Optumo Maxumo tanquam primo & inexhauſto fonte proficiſcantur. Quippe ab infinita Sapientia omnis ſcientia, ab Omnipotentia omnis ars, a ſumma

ma Bonitate utriusque communicatio, certis tamen limitibus circumſcripta in terras deſcendit. Profectò ſi ſupremam illam Mentem introſpicere nobis liceret, immenſum pulcherrimumque ſcientiarum & artium quaſi theatrum, per infinitum ſpatium omni ex parte ſeſe porrigens intueremur: quod dum mortalibus in hac vita conceſſum haud eſt, Mundum hunc magnum, quem Megacosmum dicimus, creavit, ut in eo veſtigia ſaltem Sapientiæac Potentiæ ſuæ conſpicere poſſemus. Sed hoc non contentus parvum quoque mundum, quem microcosmum adpellamus, id eſt, hominem condidit, eique mentem cunctarum artium & ſcientiarum capacem indidit. Et ſane, ut communis eſt SS. Patrum ac Theologorum doctrina, harum omnium notitiam & ideas clariſſimas in gradu quodam excellenti Adamo Protoparenti noſtro infudit Deus, in poſteros quoque eadem veluti menſura diffundendas, niſi fatale cunctis peccatum, quod *Originale* vocant, interceſſiſſet; quo factum, ut lucidiſſima & ditiſſima hæreditas illa nonniſi multis involuta tenebris & admodum imminuta ejus portio ad nos pervenerit, nec artium & ſcientiarum cognitio, uti Adamo, ita & filiis, nepotibus, ac reliquo humano generi fue-

fuerit infusa, sed non absque ingenti labore studioque acquiri debeat. Nimirum in pœnam superbiæ primorum parentum, dum *sicut Dii* esse volebant *scientes bonum & malum* (d), justissimum Numen thesaurum hunc velut in terram profunde defodit, ut non aliter ac multo labore atque per partes erui eum necesse sit, semperque plura lateant adhuc, quam pateant curiosis hominibus; neque ulli clavem ad omnia naturæ arcana concessit. Verum ex hoc ipso mira Dei providentia elucet, utpote quæ rem ita ordinavit, tum ut hominum ingenia, natura sua semper inquieta, invenirent ubique & semper, quo utiliter ac honeste sese occuparent, inveniendo scilicet, excogitando, vestigando, experiundo varias artes & scientias, inque iis se perficiendo; tum ut istarum adminiculo in divinorum operum, & per hæc in ipsius supremi artificis cognitionem atque ad summi Boni amorem veluti per gradus ascenderent ac pervenirent.

Jam vero ex his facile patet, ubi prima omnium artium & scientiarum, ut ita dicam, semina sint quærenda; non utique penes alium, quam Protoparentem nostrum Adamum, qui non solum Pater, sed

(d) *Genes.* 3.

ſed & Magiſter humani generis a Deo conſtitutus fuit. Ea ut fatear, ſemper animo meo inſedit opinio, Adamum plurimis quibus vixit annis, nongentis ſupra triginta, filios, nepotes, pronepotes ac abnepotes ſuos in diſciplinarum omnium, quarum notitia copioſiſſima clariſſimaque ipſum Deus vix conditum inſtruxerat, primis principiis imbuiſſe, ita ut eodem passu, quo carnis fœtus, etiam artium & ſcientiarum germina ſenſim propagata fuerint, ac multiplicata. Quod tamen non ita intelligi velim, ac ſi ex Adami ſchola prodiiſſent Candidati probe jam in ſingulis informati. Neutiquam: craſſæ nimium ob naturam recens per peccatum vitiatam tenebræ intellectum tum Magiſtri tum Diſcipulorum involvebant, quo minus clare ab eo cuncta exponerentur, multo autem minus ab illis rite perciperentur. Præterea diſtrahebant eos plurimum, ac impediebant a ſtudio & indagine ulteriori curæ propagandi generis, educandæ prolis numeroſæ indies creſcentis, quærendi victus quotidiani, quem avara tellus nonniſi *in ſudore vultus* ſubminiſtrabat. Demum vel naturæ ac indolis ductu, vel neceſſitatis conſilio aliqui huic arti aut ſcientiæ, alii cuidam alteri rudi adhuc minerva perdiſcendæ ope-

operam dabant: Cain agriculturæ, Lamech venationi, Jubal muſicæ, Tubalcain rei ferrariæ, Noema lanificio ac texturæ &c. pauci pluribus; ita ut ſupellex illa omnium, quam univerſam in mente ſua collectam poſſidebat Adamus, in minimas quaſi portiones diſtracta poſterorum animis inſideret. Ne vero temere & absque fundamento hæc aſſerere me quisquam exiſtimet (id quod a plerisque factum eſſe conſpicio) eundo per aliquas easque præcipuas artes atque ſcientias (quædam enim ex aliis natæ fuerunt) neceſſitatem hujus rei perpendamus. Primo quidem neceſſaria erat primis ſtatim hominibus loquendi facultas ſive ſermo communis, quem linguam vocamus, atque ad hanc voces, quibus animi ſenſus invicem ſibi panderent: Hebraicam illam fuiſſe plurimi cenſent, ab ipſo Deo inditam Adamo, quando animantium omne genus, omnesque ſpecies *adduxit ad Adam, ut videret, quid vocaret ea, appellavitque Adam nominibus ſuis cuncta animantia, & univerſa volatilia cæli, & omnes beſtias terræ* (e). Hanc linguam primi ab eo diſcere debebant, & ab his reliqui: quumque multiplicata familia multiplicarentur etiam res gerendæ, dome-

(e) *Gen.* 2.

mestica negotia atque servitia, essetque hominum memoria non minus quam reliquæ animi facultates communi fato debilitata, nec ita fidelis, ut omnia rite teneret ac redderet, opus erat, ne plurimæ res memoria exciderent, signis quibusdam, tanquam characteribus, quædam notare vel in arborum foliis, vel in ligneis tabulis, aliave ratione, quod rursus fieri non potuit inter plures sine quodam studio ac informatione, quam merito dicere possumus rudem aliquam Grammaticam seu artem loquendi & scribendi. Porro non ita hebetes fuisse primos homines credendum est, ut rationis ac mentis illustre donum velut in carne sepultum circumtulerint, brutorum instar vultu in terram defixo, ac ore nonnisi pabulo inhiante incedentes. Quis negare ausit, quod herbas, flores, fruges, arbores intuendo, fontes, flumina, mare ac pisces in iis natantes, totque diversi generis animalia gradientia conspiciendo, aerem, nubila, & aves volantes considerando, contemplando lunam & solem ac splendidissimas illas faces nocturnas in cœlo suspensas, ab ortu in occasum continuo se librantes, (de systemate enim Copernicano nihil adhuc credo ipsis innotuit) quis inquam negare ausit, primos illos homi-

homines in rerum harum naturam, principia, caussas, effecta, phœnomena, & leges indagasse, varias inter se quæstiones agitasse, consuluisse Adamum, Doctorem suum ac Magistrum, ut quæ minus recte intelligerent, ipsos doceret; hunc mentem suam aperuisse, & apta propositis quæstionibus responsa dedisse; hæcque ad familias quoque suas ab his primis hominibus transmissa & consignata fuisse? quis, rursus interrogo, hoc negare ausit? certe nemo, nisi qui eos potius hominum simulacra & umbras, quam homines, immo truncos & stipites fuisse credat. Ecce! rudem quamdam Philosophiam primi ævi. Neque huic defuit omnino disciplina matheseos. Qua enim ratione potuissent diem ac horas diei, tempus matutinum a vespertino distinguere non observato solis ortu & occasu, aut mensurare anni tempus per menses, non cognito lunæ cursu? credimusne ipsos non levasse oculos ad cœlum, aut otiosos spectasse splendidissimam siderum cohortem, lunæ phases, frequentem solis eclypsin, nec horum omnium rationem rogasse Adamum, & quæ ab hoc oraculo excepere, suis quoque observationibus notasse, sicque ad posteros transmisisse? profecto non omni arithmetica in computandis generationi-


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bus, armentis, & ovium gregibus, nec omni geographia in determinandis agrorum finibus, nec omni architectonica in struendis casis, mapalibus, & demum civitatibus, quarum primam struxit Cain, nec omni mechanica in conficiendis ad agriculturam, & supellectilem domesticam, aliave instrumentis carere poterant.

II.

Pergamus ultra. Quando *per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors* (f), deesse non poterant etiam primis illis temporibus morbi, qui viam sternerent ad mortem. Quis enim sibi persuadere poterit, in tanta familiarum frequentia omnes uno velut ictu mortis boum instar prostratos fuisse, absque præcedentium morborum incursionibus? an nullas tunc rixas, nec ullum in iis vulneratum censemus, postquam nec duo primi fratres sine unius cæde vivere poterant? neminem lapsu quodam crura fregisse, neminem febri, viscerum dolore, aliove infirmitatis genere correptum esse? homines fuisse negaret, qui ab hac misera conditione illos eximere vellet. Equidem verum est, hominum naturam recens conditam membrorum & vi-

(f) *Rom.* 5.

virium robore, humorum temperie ac victus simplicitate adversus morbos & mortem per annos plurimos satis se defendisse absque pharmacis ac medicamentis. Non æqua tamen in tanta multitudine universorum conditio esse potuit: nec solo omnes senio extincti fuerunt: nec omnes casus, quos humanos vocamus, evitari poterant. Et quamdiu ætas illa caruit ingluvie, quæ morborum seminarium est? num gulæ vitium defuit filiis & nepotibus eorum parentum, quos id ipsum paradiso ejecit? an hoc solo caruerunt, qui tot aliis tam perdite dediti erant, ut Deum *pœnituerit fecisse hominem*, ac pene totum genus diluvii aquis extinxerit? Erant itaque morbi, erant vulnera, erant dolores corporis, ut recentis peccati pœnas sentirent primi homines illi. Sed erant etiam medicinæ, ac pharmaca ad læsam sanitatem restituendam, erat medica manus. Noverant enim, alii melius aliis, herbarum, plantarum ac frugum vires occultas, didiceruntque quotidiano illarum usu: miscuerunt potiones, emplastra confecerunt, ac domesticorum medicorum munere fungebantur, Deo sic disponente, ut semina hujus quoque artis adeo mortalibus necessariæ ad posteros quamprimum pervenirent,

rent, qui decrescente semper primo naturæ florentis vigore magis ea opus habituri erant. Id ego facile crediderim, illo ævo necdum medicorum turbam occidisse homines. Quid de Juris scientia dicam? Neminem latet, illis temporibus celerrimo passu genus humanum fuisse propagatum, benedicente immo mandante Deo: *Crescite & multiplicamini* (g). Et licet cuivis præceptum fuerit, ut *adhæreat uxori suæ*, necdum tamen consanguinitatis aut affinitatis impedimentum aliquod erat lege constitutum. Ita factum, ut brevissimo tempore a primo stipite Adamo in plurimos ramos, & generationes diffusum fuerit genus humanum, e quibus integræ surrexerunt familiæ: Familia *Cain*, familia *Seth*, familia *Cainan*, familia *Malaleel*, familia *Jared*, familia *Henoch*, familia *Mathusalem*, quas omnes adhuc superstes Adamus viderat, utpote mortuus anno Mundi nongentesimo trigesimo. Jam vero in tam numerosa republica ex tot familiis veluti composita opus erat Rectore ac Gubernatore, potestate quadam & legibus saltem œconomicis, atque statutis, ut omnia, quantum fieri posset, tranquille sine litibus, jurgiis & malefactis agerentur, cuique suum tribue-

(g) *Genes.* 1.

buereturr, custodireturque morum disciplina & cultus Dei. Frustra sunt, qui solo naturæ ductu, aut providentiæ divinæ miraculo socialis vitæ vinculum tot inter homines & familias disparis omnino indolis, qualis erat in Caini & Sethi progenie, integrum atque illæsum fuisse conservatum contendunt. Habemus itaque etiam primos inter homines Juris politici & sacri quædam saltem tenuia vestigia. Denique ut reliquas artes & scientias prætercam, nec primis Theologiæ cujusdam seu sacræ doctrinæ rudimentis ea tempora fuerunt destituta. Non enim est credibile, Adamum Dei, suique adeo oblitum fuisse, ut filios ac nepotes in iis, quæ ad unius ac veri Dei cognitionem & cultum pertinerent, quæ ad vitam salutemque sempiternam necessaria forent, quæ ad morum probitatem honestatemque facerent, ut inquam Adamus filios ac nepotes suos in hisce rebus non erudiverit, ut divinas perfectiones, quæ *Attributa* vocamus, maxime sapientiam, potentiam, ac providentiam in condendo mundo, formandoque homine, bonitatem in conferenda originis justitia, hujusque donis, justitiam in vindicandis legibus, misericordiam in venia indulgenda &c. ipse nimium vicinus horum omnium

testis non explanaverit, ut peccati originalis remedium, & virtutum præcipue Theologicarum exercitationem eos non docuerit, atque Christi in carne adventum ac gratiam Servatoris non prædicaverit. Erat profecto Religio vera ipsi mundo & primis hominibus coæva, quæ tamen absque istarum, de quibus dixi, rerum notitia & doctrina consistere nequaquam poterat. Quis jam non videt, artium & scientiarum semina, primaque elementa a primo quoque mundi ævo, ab Adamo & proxima illius posteritate petenda esse, eaque nunc magis nunc minus diversis seculis, & in diversis regionibus custodita & exculta demum ad nos pervenisse, ut adeo nulla fides adhibenda sit Ægyptiis, ac Græcis maxime, genti tam ambitiosæ quam superstitioni & fabulis deditæ, dum modo hunc modo illum civem suum hujus istiusve artis ac scientiæ primum inventorem celebrant; quamvis inficiari non velim, fuisse inter illos populos præstantia quædam ingenia, quæ diu abdita hæc naturæ cimelia, adhuc aspera & impolita, primi in lucem produxere, atque ingenti labore ac pertinaci studio probe expolita & ornata quasi merces palam venales in foro literario exposuere.

III.

III.

Nunc ſtabilita prima ſede ac velut arce omnis generis Diſciplinarum, inſtitutæ earundem per orbem peregrinationis curatius cognoſcendæ nos accingamus. Poſtquam per mille ſexcentos annos & amplius intra fines Armeniæ, Meſopotamiæ, ac Chaldææ, regionum intra Tigrim & Euphratem ſitarum, per quas ſe primarum hominum familiæ dilatarunt, poſtquam diu inquam artes & ſcientiæ velut quietæ ſubſtiterunt, tamque longo temporis ſpatio utique magis excultæ fuerunt, deleto ultricibus diluvii aquis fere toto genere humano nonniſi reliquiæ illarum anguſtiſſimos intra fines unius familiæ Noemi concluſæ ſupererant. Pace reddita, ictoque cum Deo fœdere Noe Patriarcha, uti genus humanum per multiplices generationes, ita & diſciplinas qua ſermonibus qua exemplis ante oculos poſitis inter ſuos inſtaurare cæpit. His vero ad turrim Babel inter ſe diviſis, & per omnes orbis partes diſperſis artes & ſcientiæ tanquam ſpolia quædam eos ſecutæ ſunt, cruda tamen & inculta, quum homines illi aliis aliisque regionibus & terris occupandis, & familiarum neceſſitatibus magis, quam bonarum artium culturæ intenti fuerint, quoque longius a prima ſede diſciplinarum progreſſi erant,

eo plus barbariei contraxerint. Abraham pater ille multarum gentium, oriundus e ſtirpe Semi, qui Japheto in Europam, Chamo in Aſiam exteriorem & Africam migrantibus ipſe in interioribus Aſiæ remanſerat, Abraham inquam fuit, qui in Chaldæa patria ſua felicius illas excoluit; unde Chaldæorum atque Ægyptiorum, ad quos poſtmodum peregrinatus Abraham, σοφία ſeu ſapientia & eruditio in SS. Literis (h) magnopere celebratur. Prima igitur artium & ſcientiarum nobilis peregrinatio a Chaldæa in Ægyptum ſuſcepta fuit, ubi tam inſignes brevi temtempore progreſſus fecerunt, ut teſte Diogene Laertio (i), quamvis Chaldæi priores Ægyptiis ingeniorum culturæ ſe dederint, illi tamen his rurſus uſi fuerint magiſtris. Atque horum literatura imbutus Moſes, de quo teſtatur S. Scriptura (k), quod fuerit *eruditus in omni ſapientia Ægyptiorum*, magis hujus quam Ægypti ſpoliis onuſtus cum populo ſibi commiſſo longam illam per deſertum peregrinationem ſuſcepit. Haç durante variis artium & ſcientiarum monumentis & ipſe inclaruit, & Hebræos inſtruxit: Philoſophia tum naturali, tum morali, Mathe-

(h) 3. *Reg. c.* 4. (i) *in Proœm.* §. 4.
(k) *Act. Apoſt. c.* 7.

thematica, Geneologia, Arithmetica, Hiſtoria, Architectonica civili & militari, Jurisprudentia, & Theologia; quæ omnia ex ipſius Pentateucho luculenter adparent in deſcribenda cœli & terræ fabrica, in deſignando ſiderum curſu, in texenda Patriarcharum hiſtoria, in numero populi ineundo, in conſtructione Tabernaculi, in caſtris metandis, in oppugnatione urbium, in præliis, in judiciis exercendis, in ſacris & ſacrificiis ordinandis, in præceptis divinæ legis promulgandis explicandisque, quas diſciplinas a Moſe pleno velut alveo hauſtas Hebræi ſecum in Terram Sanctam intulerunt, & ad usque tempora excidii Hieroſolymitani multis auctas incrementis conſervarunt, quemadmodum e libris Regum & Machabæorum clariſſime adparet.

Interea dum in Ægypto bonarum artium ſtudium ad ſublimem quemdam gradum aſcendere videbatur, excitæ fama exteræ nationes, præſertim Græci, magna frequentia illuc ſe contulerunt, ut ibidem in vario literarum genere ſeu informarent ſe, ſeu perficerent. Eo certe conſilio grandes illi Græciæ Sophi Pythagoras, Thales, Democritus, Plato aliique in Ægyptum proficiſcebantur, maxime Alexandriam, civitatem Regiam, ubi ſub

ſub Ptolomæorum patrocinio velut monopolium ſcientiarum exercebatur: neque etiam ſine fœnore in patriam ſunt reverſi. Nam poſt reditum ſuum diverſas Scholas & Lycea erexerunt, in quibus Græca juventus, etiam nobiliſſima, in literis & bonis artibus inſtitueretur a præſtantiſſimis quibusque magiſtris, quorum fere ſinguli in id erant intenti, ut continuo ſtudio & profunda meditatione vagam illam & latiſſime patentem Æygptiorum ſapientiam ad prima principia & certam methodum reducerent, atque ad ſcientiæ proprie dictæ dignitatem eveherent. Ita factum, ut brevi tempore non ſolum Ægyptiis ipſis, e quorum fontibus literas in regiones ſuas derivarunt, ſuperiores evaſerint, verum etiam diſciplinarum fere omnium inventores eſſe crederentur. Præ aliis autem diſcendi docendique ſtudium floruit in Attica regione, ubi Athenæ, quas *omnium doctrinarum inventricem* vocat Cicero (l). Nec mirum: erant enim in Græciæ Rebuspublicis ii, qui cæteris eruditione præſtabant, maximo in pretio. Eloquentiam & Philoſophiam ſequebantur honores, potentia, quin & ſtatuæ in foris erectæ. Hinc Nobilium quoque liberi Rhetorum ſcholas po-

(l) *Lib.* I. *de Orat. c.* 4.

potiſſimum frequentarunt, in quibus etiam omne genus literarum ſimul addiſcebant. Nec ſuis jam contenta finibus Græcorum literatura poſt ſubjugatam Aſiam in hujus quoque provincias ſe ſe extendit. Conſtat enim multas Aſiæ gentes cum lingua græca reliquarum quoque artium diſciplinas recepiſſe, cujus rei teſtes habemus Ciceronem & Strabonem: prior Antiochiam Syriæ *urbem eruditiſſimis hominibus, liberaliſſimisque ſtudiis affluentem* appellat (m). Alter Tharſenſium ſcholas plurimum laudat. Non minus apud Pergamenos, Rhodios, & Epheſinos literas floruiſſe ævo illo idonei ſcriptores referunt: quin & ad Sinas usque penetravit præ reliquis Matheſeos diſciplina, quam ab ipſo mundi exordio, cui coævum volunt eſſe regnum ſuum, jam penes majores ſuos cultam fuiſſe ambitioſius quam verius gens iſta cæteroqui politiſſima jactat & credit.

Quemadmodum vero Græci in Ægyptum, ita & Romani in Græciam literarum & ſtudiorum cauſſa peregrinati, lætique ac divites cum mercibus iſtis in Latium reverſi ſunt. Fatentur hoc ipſimet. Quippe Livius ait (n): *Artes multas ad animarum corporumque cultum nobis eru-di-*

(m) *Orat. pro Archia.* (n) *L.* 35. *c.* 8.

ditiſſima gens (ſcilicet Græcorum) *invenit.* Non minus Tullius: *a Græcis* inquit (o) *Philoſophiam & omnes ingenuas diſciplinas habemus.* Nam populus Romanus primus e paſtoribus, mox latronibus, demum e militibus coaluit ac propagatus eſt, neque ullos doctrina præſtantes civitate donavit, antequam cum exteris, ac Græcis maxime, rem habere cœpit. Tum vero quum Græci in Romanorum arma & leges jurarunt, Romani viciſſim Græcorum ſcientias & diſciplinas utraque manu ſunt complexi. Primus, qui literas inde Romam detulit, Ennius fuiſſe perhibetur, quemadmodnm prodit Cornelius Nepos (p) & Lucretius (q):

Ennius ut noſter cecinit, qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
Per gentes Italas hominum quæ clara clueret.

Quanto poſtmodum quamque incredibili ſtudio & ardore bonas artes excoluerint Romani, ſatis demonſtrant tot monumenta & libri, atque ſcriptores aurei argenteive ſeculi: Quin & ex urbe Roma tan-

(o) *L.* 2. *de finib.* (p) *In vita Catonis.*
(q) *Lib.* 1.

tanquam centro in provincias armis ſub jugum miſſas in Galliam, Hiſpaniam, & adjacentes inſulas, ipſam denique in Germaniam feliciſſimis auſpiciis literarum commercium invexere, quamvis harum aliquæ citius, aliquæ ſerius illud admittere ac exercere cæperint. Plurimum quoque ad ſcientiarum incrementum & ſplendorem contulit Chriſtiana Religio. Quum enim hæc ſine literis & bonis artibus nec ſatis contra hoſtes ſuos ſe tueri, nec barbarie populis dominante doctrinam ſuam latius propagare potuiſſet, Chriſtiani Principes & ſupremi Eccleſiæ Præſules ubique ſcholas, bibliothecas, & academias communi velut conſilio, magnisque ſumtibus erexerunt, ac majoribus dotarunt, in quibus poſtmodum omnes omnino artes atque ſcientiæ domicilium fixere. Ex hic hactenus in medium allatis facile patet felix peregrinatio artium & ſcientiarum per orbem; qua ſcilicet ratione e primorum parentum patria ſede in vicinas Aſiæ regiones, ex his in Ægyptum, ex Ægypto in Græciam, e Græcia in Italiam, ex hac in reliquam Europam grandi ſane circuitu commigraverint. Quodſi vero univerſum qua late patet iter iſtud unum veluti ſub aſpectum ponere velimus, ſequentes

temporis periodos, & locorum ſtationes iisdem figere licebit. *Prima*, ab orbe condito circa Meſopotamiam & Armeniam in Adami familia ejusque ſinu quieſcebant artes & ſcientiæ usque ad Noemum & diluvium. A. M. 1657. *Secunda*, a Noemo intra Armeniam, Babyloniam & Meſopotamiam in ejus familia reſuſcitatæ ſunt usque ad linguarum gentiumque diviſionem. A. M. 1757. *Tertia*, ab hac in Chaldæa per Abrahamum ejusque poſteros excultæ fuerunt. A. M. 1948. *Quarta*, ab Abrahamo, ejusque egreſſu ex Ur Chaldæorum propagatæ ſunt per terram Chanaan & Ægyptum usque ad Moſen. A. M. 2373. *Quinta*, a Moſe in Ægypto, & ab exitu ex Ægypto in Deſerto & Terra Sancta ſe detinuerunt penes populum Dei usque ad Græciæ ſapientes. A. M. 3400. *Sexta*, a Pythagora & Thalete ex Ægypto in Græciam invectæ floruerunt tum Athenis tum Alexandriæ usque ad Ennium aliosque Romanos. A. M. 3722. *Septima*, a Romanis e Græcia allatæ in Urbe ac reliqua Italia ſtabilem poſuere ſedem usque ad Herulorum, Gothorum, Vandalorum &c. in Italiam, & Turcarum, & Tartarorum in Græciam & partem Aſiæ irruptionem. A. C. 476. *Octava*, a Barbaris, ſub quorum domina-

tu

tu fere ubique ignorantia regnabat, & artes ac ſcientiæ in exilium pulſæ ſunt, usque ad reſtauratum Imperium Occidentis ſub Carolo M. A. C. 800. *Nona*, a Carolo M. & Lothario in Italia, Gallia, Germania &c. ubi ſenſim inſtaurari cæperunt, usque ad ſeculum XIV. & XV. *Decima*, ab his in Italia, Gallia, Germania, aliisque Europæ regnis atque provinciis usque ad præſens tempus immenſis laboribus & ſumtibus ad ſummum perfectionis apicem omne diſciplinarum genus effectum eſſe, propriumque in Europa domicilium fixiſſe videtur.

§. II.

Peregrinatio per Artes & Scientias.

IV.

Juvat nunc per ipſas tantisper diſciplinas peregrinationem inſtituere, eundo per ſingulas earum, ſaltem præcipuas; celeri tamen paſſu ac ſine diverticulis, ſumma ſolum veſtigia ſequendo: diutius enim & commodius commorari licebit, ubi cujusvis originem & progreſſionem, plenioremque hiſtoriam ſequentibus in libris exhibebo.

Grammaticam, quæ docet recte loqui ac ſcribere, ipſa neceſſitas ſocietatis hu-

manæ vix condito mundo ſeu invenit ſeu potius ſuppeditavit, certis legibus conſtitutis, ut quivis vel præſens vel abſens animi ſui ſenſa alteri communicare poſſet. Hæc linguas informat, quarum prima & princeps merito fuiſſe creditur Hebræa, quando erat adhuc *terra labii unius & ſermonum eorundem* (r). At confuſis ad turrim Babel hominum linguis ſeptuaginta illarum diverſas prodiiſſe autumant non pauci, quum tot fere gentes in terram poſt diluvium diviſas fuiſſe memoret S. Scriptura. Orientalium autem linguarum prima radix ac fons erat *Hebraica*, qua electus a Deo populus utebatur, & a qua poſtmodum Syriaca & Arabica profectæ ſunt: Altera Orientalium primæva fuit *Græca*, dialectis ſolum apud varias Græciæ nationes varia. Occidentalium vero tres ſunt ſcaturigines; Primo *Latina*, Romanis uſitata, quæ nulli quidem genti hoc ævo propria, commune tamen hominum, qui literis inſtructi ſunt, vinculum eſt, & ex qua poſt natæ ſunt Itala, Hiſpana, & Gallica, partim etiam Britannica. Secundo *Germanica*, e qua prodierunt Belgica, Danica, Suecica, partim Anglicana. Tertio demum *Sclavonica*, mater Polonicæ, Bohemicæ, Hungaricæ, &

(r) *Geneſ.* 11.

& magnam partem Moſcoviticæ. Hebræam linguam nulla hodie terra loquitur: utuntur tamen illa (quamvis parum ſincera) Judæi hinc inde ſparſi, & pauci quidam docti, qui ſtudium illius profitentur. Græcam præter Peloponeſios, Macedonas, Theſſalos &c. inſulasque ſubjectas recepit etiam Græcia Magna, id eſt. Sicilia cum maxima Italicæ oræ illius parte, quam coloniæ e Græcia ductæ inſederant: porro Græcia Aſiatica, in qua Æoles, & Jonii habitabant: frequens quoque inter Romanos Literatos græca lingua fuit, quemadmodum inter Noſtros Latina. Hæc jam lingua latina, cujus meminiſſe inſtituti mei eſt, primas cunas nacta eſt in Latio, illo paucorum milliarium agro a Roma verſus Campaniam ſe porrigente, anguſtoque Italiæ angulo, in quo Saturnus e regno Cretæ a filiis ſuis Jove, Neptuno, ac Plutone pulſus latuit. Initio rudis admodum & aſpera fuit, ut ex antiquiſſimis illius vocabulis, tanquam ruderibus relictis manifeſtum eſt: neque cultura adhiberi poterat uti agrorum, ita & literarum inter armorum ſtrepitus & bellorum tumultus, quibus tunc cum vicinis populis perpetuo impliciti erant Romani: iis vero domitis expoliri ac florere cæpit a. U. C. 514. quando

Coss. C. Clodio & M. Tuditano Livius Andronicus primus latinas literas publice docuit, cujus exemplum postea non pauci erigendo scholas & præcepta tradendo sunt imitati, ita ut ad hæc tempora merito juvenilis ætas latinitatis referatur. Imperio autem potita gens Romulidum linguam suam cum jugo multis etiam dissitis populis imposuit. Interea Romæ plus semper exculta sub Livio, Julio Cæsare, & Marco Tullio, regnante Augusto, virilem perfectamque ætatem attigisse visa est. Ab hoc tamen splendore suo sub Tiberio paullisper declinare, sub reliquis Impp. enervari cum moribus, atque sub Antoninis omnino in pejus ruere cæpit: fatalem denique ictum inflixerunt tot barbarum gentium incursiones Herulorum, Gothorum, Longobardorum, Vandalorum, Hunnorum &c. quæ cum Romana potentia ipsum quoque nomen ac linguam exterminare conabantur. Certe corruptissima erat per aliquot secula, & plurima barbarie conspersa. Carolus M. fuit & Lotharius, qui instaurato Imperio Occidentali de latina lingua cum aliis bonis artibus ab exilio revocanda consilium & animum cæpere. Tandem circa seculum XV. adnitentibus Viris præclarissimis Petrarcha, Erasmo, Laurentio Valla, Hermolao Barbaro, Angelo Politiano, Jo-

Joviano Pontano, Poggiô, aliisque restituta, & dato velut signo in Italia, Gallia, Hispania, Germaniaque sequentibus seculis ad pristinam dignitatem evecta fuit.

Poesis eodem fere cum Musica natales habuit. Quippe diversarum nationum homines, dum sacrificia, convivia, & nuptias celebrarunt, primum tibiis & fidibus utebantur: tum etiam voces jungebant & cantus, quin & saltus ad tibiæ vel citharæ sonum: unde pedum numerus atque mensura, inde harmonia, demum rythmi & metra prodierunt. Erat autem Moses ante Græcos aliosque populos, qui post mare rubrum sicco pede transmissum, demersumque cum exercitu Pharaonem primus edidit Canticum seu carmen hexametrum, quod nos Heroicum vocamus, cujusque initium est: *Cantemus Domino* (s). Non minus inter sacros Poetas, a quibus originem duxere profani, eminuerunt Job, David, Salomon, Jeremias, Isaias, cæterique Prophetæ, quorum libri ligato sermone conscripti sunt (ut quibusdam videtur) & vaticinationes continent seu prædictiones futurorum, unde postmodum Poetis nomen *Vates* multorum judicio adhæsit; licet Varro (t) eos a vien-dis

(s) *Exod. c.* 15. (t) *L.* 4. *de Ling. latin.*

dis verſibus (*viere* autem vincire eſt) ita dictos exiſtimet. Poſt hos in Græcia maxime floruit Poeſis. Quippe ut ſuperius commemorabam, Græci ad literas ediſcendas in Ægyptum profecti in ſacros ibi Codices incidere, e quibus depromtas hiſtoricas narrationes ob rerum ſublimitatem & ſtupendam varietatem admiratione primum, tum etiam metro & verſibus complexi ſunt, admixtis tamen, quum fidei veritatis luce deſtituti eas adſequi ſatis haud poterant, innumeris fabulis de primo chao, de Jove, Saturno, Gigantibus, de Prometheo, Deucalione, Orpheo, Hercule &c. Propriam vero ſibi Muſarum ſedem condiderunt in montibus regionum ſuarum: Heliconem in Bæotia, & Parnaſſum in Phocide. In his collocarunt Apollinem tanquam Præſidem Muſarum, quibus ſingulis certum genus carminum velut inventricibus attribuebant. Inde ex fonte Hippocrene, Pegaſi ungula excitato, fabulas ſuas pleno gutture hauſerunt, in totum terrarum orbem poſtea ſparſas. Eminuerunt inter græcos Poetas Homerus, Heſiodus, Sappho, Pindarus, Anacreon, Menander. Uti autem Græci ex Ægypto, ita & Romani e Græcia Poeſeos artem in patriam ſuam tranſtulere, in qua optimi quoque Poetæ Latini non

tam ſurrexerunt, quam nati ſunt, & quidem in diverſo carminum genere Lyrico, Elegiaco, Heroico, Scenico, uti Ennius, Plautus, Accius, Nævius, Terentius; potiſſimum Auguſti Cæſaris & Mæcenatis ævo ut Horatius, Catullus, Tibullus, Ovidius, Virgilius, a quibus omnes artis Poeticæ divitias in hodiernam usque diem in noſtra deportamus gazophylacia.

Rhetorica, quam bene dicendi ſcientiam finit Quinctilianus (u), cum ſtabilita hominum ſocietate initium ortumque ſuum habuit, præſertim ubi familiæ ampliores, urbes, ac respublicæ conſtitutæ fuerunt. Oportebat enim in his eſſe aliquos, qui aliis ſuaderent, alios defenderent, exhortarentur alios, & recte facta laudibus exornarent; quæ omnia latius quoddam ſermonis genus, magis politum & elaboratum, a vulgari & communi diverſum requirunt, uti apud Tullium (x) recte animadvertit Zeno dicens: *omnem vim loquendi in duas partes tributam pugno ſimilem eſſe: quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compreſſius.* Quapropter idem Cicero ejus originem ad primos urbium Conditores & Legislatores refert: Ariſtoteles autem tribuit Si-

(u) *L.* 2. *c.* 15. (x) *L.* 2. *de fin.*

Siculis, hominum generi acuto & ad dicendum promto: Quinctilianus Empedocli Pythagorico, quem prima Rhetoricæ fundamenta jecisse prodit. Ut paucis omnia dicam, prima & rudia elementa in quibusdam hominibus natura inchoavit: observatio autem, quid quave ratione unus altero melius diceret, adolescentiam ejus promovit: studium vero & ars perfecit virilem ætatem, in Græcia quidem, ubi Athenis floruere Viri eloquentissimi Pericles, Isocrates, & Demosthenes: Romæ autem, ubi Crassus, Marcus Antonius, Cato, Sulpitius, Hortensius, præcipue autem Tullius e Græcia redux, qui postquam illius oratores declamantes solicite audivit, eloquentiæ latinæ parens ac princeps evasit, unus omnibus aliis superior. Ibidem Quinctilianus non tam voce ac exemplo, quam calamo & libris suis Rhetorem numeris omnibus absolutum informavit. Nihilominus fateri oportet, jam ante Græcos & Romanos in populo Hebraico Viros fuisse eloquio præstantes. Certe de Aarone ipse Deus (y) ad Mosen: *Aaron frater tuus, scio quod eloquens sit: ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Mosis quoque eloquentiam celebrat Apostolus (z), dum ait: *Erat potens*

(y) *Exod. c. 4.* (z) *Act. 7.*

tens in verbis & operibus ſuis; cujus eloquentiæ vim ſatis expertus eſt Pharao Rex Ægypti, quando coram eo pro populi libertate peroravit. Interea Romæ Imperio ad unum Principem devoluto, conſtitutaque Monarchia, dum libertas quæ in Rebuspublicis regnare ſolet, oppreſſa fuit, non amplius publico in foro agitabantur cauſæ dicendo ad concionem, quæ res mirum quantum Rhetorum ſtudia & mercede aluit, & honore accendit: ſed Jurisperiti privatos intra parietes eas diſcutiebant ſubtilius quam eloquentius, & ad legum apices magis quam ad Rhetoricæ artis præcepta expenderunt. Ita factum, ut & dignitas Rhetorum, & ipſius artis ſtudium langueret, atque ad declamationes duntaxat, panegyricasque orationes Rhetorica deſerviret. Latius tamen propagante ſe Chriſtiana religione profanis Oratoribus ſucceſſere ſacri, qui e cathedris & ſuggeſtibus ad refertiſſimum populum ſumma eloquentia, deque ſummis rebus perorabant, quemadmodum Cyprianus, Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, Auguſtinus, Leo M. Ambroſius, Gregorius, aliique SS. Patrum, vigetque mos iſte etiamnum hodie in Eccleſia Dei, in qua profana Rhetorice ſubito ſacram ſe factam eſſe miratur & gloriatur.

V. De

V.

De *Philosophia* ut aliquid proferam, Moses primus erat, qui eam a Majoribus acceptam, tum Naturalem tum Moralem, latius explicavit in suo Pentateucho. Quamvis enim Ægyptii ab Abrahamo peregrinante non modicam illius notitiam hauserint, maximis tamen eam mysteriis & hieroglyphicis involverunt, inter religionis arcana custodientes, usque dum pleniorem apertioremque doctrinam istam e libris Mosaicis ad se delatis hauserunt. Hanc ipsam magis nonnihil excultam & a superstitionibus purgatam Græci ex Ægypto læti domum asportarunt, ac majori a Sapientibus suis studio elaboratam exornatamque palam professi sunt. Et sane jam a Thalete usque ad Platonem plurimæ veritates prius absconditæ tum in Philosophia naturali, tum morali fuerunt detectæ. Tres erant tunc temporis Philosophiæ celebres: *Jonica* Mileti a Thalete: *Italica* a Pythagora in Calabria: *Eleatica* in Elea magnæ Græciæ urbe a Xenophonte instituta. Postmodum in varias distracta fuit sectas: in Academicam duce Socrate, e cujus schola divinus ille Plato prodiit: in Cynicam auctore Anthistene ac Diogene: in Stoicam,

cam, cui Zeno initium dedit: in Scepticam Pyrrhone magiſtro: in Peripateticam ab Ariſtotele Platonis diſcipulo conditam, cui longo poſt intervallo ante tempora M. Antonini Imp. ſucceſſit Eclectica a Potamone Alexandrino erecta, quæ ſingulis e ſectis ſaniora dogmata elegit. Cætera Plato, dum ſapientiæ ſuæ theſauros omnes in Philoſophiam effudit, ampliores ei fines conſtituit, arctiores contra Ariſtoteles, qui primus eam in argumentandi ac rite concludendi methodum redegit, quam etiamnum hodie tenent ſcholæ bene moratæ, ac docti omnes mirantur. Ita græcæ Philoſophiæ fama ubique ſe dilatante excitata juventus Romana magnis paſſibus properavit Athenas ad hanc diſciplinam e puris fontibus hauriendam, probeque imbuta domum rediit; a quo tempore Romæ quoque magno in pretio haberi cœpit, præcipue ea, quæ de moribus agit, uti e Tullii & Senecæ libris luculenter conſtat. Non minus poſt Chriſti adventum, & promulgatam legem Evangelicam, quando Chriſtianis contra ethnicos Philoſophos continuo pugnandum erat, ut ſuam morum doctrinam vanæ illorum Philoſophorum doctrinæ opponerent, eorumque errores de mundi æternitate, de

caſu

casu & fato, de animæ mortalitate, de metempsychosi seu animarum transmigratione, deque corporum interitione &c. refellerent; maximi quique inter eos Viri Philosophiæ operam navarunt. Hæc postea magnam stragem passa est barbaris gentibus Italiam inundantibus, ac pene sepulta jacuit. Resuscitata tamen fuit seculo XII. in Hispania Arabum quorundam ope, præsertim Averrois & Avicennæ, qui tamen nimiis eam subtilitatibus, argutiis, quin & superstitionibus cumularunt potius quam exornarunt. Secuti sunt meliores Aristotelis interpretes, inter quos eminuit D. Thomas, tenuitque diu hæc philosophandi ratio, donec sub finem seculi XVII. & initium XVIII. in Gallia, Italia & Germania, nova & multiplici experimentorum ac systematum accessione novam quoque formam induerit.

Mathesin, maxime partem illam, quæ ad siderum ac temporum notitiam pertinet, Adam in familiam suam, hæc in Chaldæam, Abraham autem in Chananæam, tum in Ægyptum quoque illatam felicibus auspiciis propagavit. Præ reliquis autem Moses illam excoluit, quem Arithmeticæ, Geometriæ, Architectonicæ, & Astronomiæ peritum fuisse Philo

He-

Hebræus teſtatur, & ſatis id ipſum relicta in Pentateucho operum ejus monumenta demonſtrant. Verum apud Ægyptios poſt plurium annorum culturam ars tota demum in Aſtrologiam quandam ſuperſtitioſam degeneravit. Feliciores in Græcia progreſſiones fecit a Thaletis tempore, qui ſcientiæ hujus cognitionem in Ægypto hauſtam eo ſecum transtulit, quamque Eudoxus ordinato lunæ curſu, Euclides conſtructione elementorum, Archimedes ſphæra & ſpeculis cauſticis, aliique præclaris aliis inventis & demonſtrationibus ſuis ad ſatis magnum perfectionis gradum perduxere. His non contenta finibus nimium anguſtis e Græcia in Italiam, Arabiam, Perſiam, alioſque populos Orienti adjacentes Matheſis ejuſque ſtudium ſeſe dilatavit: quin etiam in regnum illud vaſtiſſimum, quod Sinenſe vocant. Et vero apud nationem hanc acuti æque ac politi ingenii ſtabilem veluti ſedem, nec ſeculorum longiſſimo tractu interruptam fixiſſe viſa eſt hæc diſciplina, utpote quæ Sinenſibus præcipuo in amore ac veneratione ſemper fuit. Profecto, qui primi animarum lucro incitati ad prædicandam Chriſti legem in interiora hujus Imperii penetrarunt, e Societate Jeſu Viri, mathematices ſcientia probe in-

inſtructi, Schallius, Verbieſtus, Noelius &c. non ſine admiratione hujus culturam, variam ſupellectilem, ephemerides, aliaqne documenta antiquiſſimis jam temporibus collecta ibidem invenerunt. Nec mirum, quum præ cæteris omnibus huic ſtudio maximus ſemper honor exhibitus fuerit. Nam qui eo excellunt, *Mandarinis* ſeu Nobilibus accenſentur, & inter alia regni Tribunalia illud quoque conſpicuum eſt, quod Mathematicum adpellant. In Europa vero Matheſis Romæ aliquamdiu culta mox in Barbarorum manus delapſa eſt, nec niſi poſt Carolum M. denuo inclareſcere cœpit, diverſis Principibus, Regibus, Imperatoribus, maxime ſummis Pontificibus operam ſuam & opes ad ſcientiam tam utilem quam neceſſariam inſtaurandam contribuentibus. In Germania hunc laborem in ſe ſuſceperunt Peirbachius, Mullerus, Copernicus, Tycho Brahe, Kepplerus, Hevelius, & Hugenius, ac Schottus S. J. in Italia Galilæus, Clavius, Kircherus, Ricciolus, omnes tres e Societate Jeſu: in Galliis Dechalius S. J. & duo Caſſini. Noſtris vero temporibus apicem perfectionis attigiſſe videtur per Societates, ut vocant Regias, Pariſienſem, Anglicanam, Berolinenſem, Petropolitanam, perque Inſti-

tu-

tutum Bononienſe, Lipſienſe, Viennenſe, quorum opera Matheſeos arcana quæque in lucem protrahuntur, & orbi literato in publicis Actis communicantur.

Medicinæ auctorem S. Scriptura celebrat ipſum Deum, utpote de quo, licet omnium aliarum artium & ſcientiarum fons & origo ſit, ſingulari tamen quaſi titulo memorat: *Vere a Deo eſt omnis medela*, & *Altiſſimus creavit de terra medicamenta*(a), atque ab hoc inter alias indita fuit primo Parenti medicæ artis cognitio, ut qui per peccatum ſuum poſteritatem totam omni morborum & infirmitatum generi, ipſique morti obnoxiam fecit, etiam medendi rationem aliquam ac modum ſubminiſtrare poſſet. Varia exſtant hujus artis veſtigia in SS. Literis. Nam in libro Geneſis (b) legimus, Joſephum, Jacobi Patriarchæ filium, Ægypti Pro-Regem *mandaſſe Medicis ſuis*, ut defuncti patris cadaver aromatibus condirent, quorum mira vis erat in ea regione ad corpora a putredine immunia ſervanda, quæ *Caromomia* adpellamus, & ipſa ſerviunt vel maxime ad pharmaca præparanda. Rurſus (c) mandante Deo Moſes legem promulgavit, ut Vir, qui gra-



(a) *Ecclеſ.* 38. (b) *Cap.* 50. (c) *Exodi.* 21.

graviter percuſſiſſet alterum, ſi hic mortuus non fuerit, *operas ejus & impenſas in Medicos* ille reſtitueret. Non minus Salomonem perfectiſſima omnium herbarum, plantarum, ac fructuum, e quibus medicamenta fiunt, cognitione præditum fuiſſe teſtatur liber tertius Regum (d). Hinc dubium eſſe non poteſt, jam apud Hebræos & Ægyptios medicinæ artem & cognitam fuiſſe, & exercitam. Græcia tamen præ cæteris illam ſibi vendicavit in Apolline ſuo, quem inventorem medicinæ de humano genere optime meritum in Deorum numerum retulit: eodem honore filium Æſculapium affecit, quem medica arte ſua etiam mortuos ad vitam ex inferis revocaſſe fabulabatur. Atque in hujus familia ſcientiæ iſtius arcana velut ſedem fixiſſe memorant hiſtoriæ, ita ut nulli alteri extra eam Medici munus obire licuerit. Ex hac Æſculapiorum ſtirpe deſcendit Hippocrates, Numen illud Medicorum, qui diſperſa medicinæ dogmata primus in artem collegit, & certa methodo complexus eſt, relictis poſteritati libris doctiſſimis. Brevi autem in ſectas abiit hæc ſcientia, quarum tres præcipuæ fuerunt: *Empirica*, quæ ſola experientia in medendo nitebatur: *Methodica*, quæ

(d) *Cap.* 4.

quæ rejectis experimentis triplicem morborum fontem, atque ita triplicem quoque curandi methodum conftituit: & *Rationalis*, quæ utrique parti aliquid tribuebat, ac experientiæ methodum conjunxit. Magnum erat apud Græcos Medicorum nomen, non item apud Romanos. Nam poft breve tempus, quo e Græcia Romam adpulfa eft hæc difciplina, Medici ex urbe vel ob avaritiam vel ob infcientiam ejecti fuerunt. Reftituit tamen rem Galenus ex Afia advectus, qui Hippocratis placita, quæ admodum corrupta invenerat, tum integritati fuæ reddidit, tum meliorem in ordinem diftribuit, multaque de fuis principiis & arcanis adjecit. Quumque ars hæc tam utilis, quam quæftuofa effet, brevi per omnes Europæ regiones medica gens colonias duxit. Celebris erat olim in Italia fchola Salernitana: celebres Medici Paracelfus in Germania, & Helmontius in Belgio. Pofterioribus feculis atque noftris potiffimum frequentiore ufu anatomices ex diffectis animalium & hominum corporibus fcientia hæc ita profecit, ut inveftigatis morborum fedibus, obfervatis fymptomatis, & naturæ crifibus, detectis remediorum arcanis, infpectis herbarum virtutibus, & excuffis omnibus membrorum angulis im-

mortalitatem hominibus promittere posset, si foret *in medico semper, relevetur ut æger.*

VI.

Jurisprudentia latissime patet. Primum ejus fundamentum est Jus naturæ, cujus prima & generalia principia, quam in se pauca, tam in iis, quæ inde eruuntur, multiplicia manifestat lumen illud naturale, cuivis hominum ingenitum. Hoc lumen, quum in Adamo admodum excellens fuerit, facile ea, quæ ad jus naturæ pertinent, progeniem suam posterosque ille docuit, ac copiose explanavit. Præter jus hoc, quod omnium aliorum jurium regula est & moderatrix, primorum parentum filiis & filiabus, horumque nepotibus in familias distributis jus quoddam œconomicum (civilis species adhuc imperfecta) esse cœpit, sine quo recta familiæ gubernatio subsistere nequit, utpote quod officia uxoris erga maritum, liberorum erga parentes, servorum erga dominos, & familiæ membrorum erga se invicem complectitur. Ubi vero illæ magis magisque auctæ in gentes integras excrevere, ortum est Jus gentium, circa bella, pacis fœdera, & commercia mutuo consensu constitutum. Constructis au-

autem civitatibus natum eſt Jus civile ſeu politicum, quo omnia & ſingula civitatis membra in officio continentur. Cætera univerſim Jurisprudentia in ſacram & profanam dividitur. Docet enim ipſum jus naturæ, Deo quod Dei eſt, & homini quod hominis eſt, dandum eſſe. Utrumque ab Adamo tanquam juris Doctore a Deo conſtituto primis hominibus traditum eſt, ita ut in Caini poſteris, quos *filios hominum* adpellat S. Scriptura, Jus profanum: in Sethi vero familia, quæ *Filiorum Dei* nomine venit eadem in Scriptura, Jus ſacrum maximam partem cuſtoditum & propagatum fuerit. Extincto per diluvium paucis exceptis humano genere inſtauratum eſt a Noemo, & per illius progeniem facta gentium diviſione ad alias quoque orbis plagas & regiones, quas occuparunt, translatum. Præcipue poſt Patriarchas viguit in populo Dei, cujus Principes erant Moſes & Aaron, quorum ille, quæ ad hujus regimen & vitæ felicitatem, iſte quæ ad divinum cultum & res ſacras pertinebant, uterque Dei, Legislatoris ſupremi, juſſu ſaluberrimis legibus promulgatis ordinabat. Perſeverarunt hæc jura intacta poſt occupatam terram ſanctam, tum ſub Ducibus populi & Judicibus, tum ſub Regibus

Iſrael & Juda, ita ut Reges profanum, ſummi Sacerdotes ſacrum adminiſtrarent, vindicante ſæpius Deo gravibus pœnis inflictis, ſi Reges in jura ſacra manus immiſcere auſi fuerunt. Tum a populo electo ad alias gentes, regna & provincias Jurium cultura tranſiit. Quippe dum antea ſuo velut arbitrio, vel ſub potentiorum tyrannico regimine viverent populi, Legislatores ſurrexerunt, homines ſapientes & probi, qui partim lumine naturæ illuſtrati, partim iis, quæ peregrinando per alienas terras e ſacro maxime Codice Hebræorum hauſerant rectæ gubernationis principia, adjuti conſcriptis latisque legibus optimis reſpublicas regnaque tanquam copioſa ſupellectile inſtruxerunt. Mercurius Triſmegiſtus primus leges conſtituit Ægyptiis, Phoronæus Rex Argivis, Lycurgus Lacedemoniis, Solon Athenienſibus, Numa Pompilius Romulo ſuccedens Romanis. Fateri oportet, nullibi melius atque auguſtius Jus profanum fuiſſe excultum, quam in Græcia, & in Romana Republica, quod ibi ferendis legibus ſapientiſſimi quique Viri, heic fortiſſimi præeſſent. Nec deerat his populis Jus ſacrum, ſeu potius ſimulacrum illius, nempe apud Græcos fabulis, apud Romanos ſuperſtitionibus refertum: erant tamen

men

men utrobique Aræ, Sacrificia, Fana, Sacerdotes, quin & Romæ Pontifices Maximi, penes quos ſacrorum ſumma poteſtas fuit. Ejectis Regibus Romana Respublica duodecim Tabularum, quarum decem e Græcia fuerunt allatæ, legibus regebatur. Juri Romano atque communi initium eſt datum ſub Auguſto Cæſare, quod perpetuis Reſcriptis ut vocant, Edictis, & Sanctionibus per ſequentes Imperatores auctum in eam, qua hodie utimur, Juris Civilis & profani formam a Juſtiniano Imp. Triboniani potiſſimum conſilio & ope fuit redactum. Eodem fere tempore, ſcilicet ſub Auguſto Imp. nato Chriſto, ac mortem perpeſſo ſub Tiberio Auguſti ſucceſſore, lege Moſaica exauctorata nova Lex Evangelica, Jusque ſacrum ab omni ſuperſtitione ac vetuſtate purgatum in orbe Chriſtiano emicare cœpit, idemque Pontificum Maximorum Epiſtolis, Reſponſis & Conſtitutionibus continuo locupletatum a Gregorio IX. adlaborante S. Raymundo a Pennafort in corpus Juris Eccleſiaſtici ſeu Canonici coaluit: atque ita hoc utroque tam Sacro quam Profano Imperium & Sacerdotium in hanc diem feliciter gubernatur.

Theologia tam illa, quam *Naturalem* dicimus, ſeu quæ lumine naturæ per re-

rum creatarum & mundi hujus contemplationem ad Deum & ſuperna cognoſcenda eluctatur, quam ea, quæ *Supernaturalis* vocatur, quæque vires naturæ ſupergreſſa cœleſti luce quadam e rebus revelatis ad myſteriorum divinorum arcana ſcrutanda elevatur, utraque a Deo promanat: prior tanquam ab Auctore naturæ, poſterior tanquam ab Auctore gratiæ. Nam præter alias omnes vel maxime Theologica ſcientia Protoparenti noſtro Adam in primo ſtatim ortu ſuo infuſa a Deo fuit, quam ille in poſteris ſedulo propagavit inſtillando ipſis notitiam Dei rerumque cœleſtium, explicando divina myſteria ſibi revelata, excitandoque non tam ad hujus, quam alterius vitæ felicitatem perpetuam conſequendam. Obſcuratum quidem eſt admirabile hoc lumen tam naturalis quam ſupernaturalis Theologiæ plurimum per ingentia hominum vitia, præſertim carnis, ante diluvium: poſt hoc autem, poſtque gentium diviſionem per idololatriam & ſuperſtitiones in orbem invectas; nunquam tamen omnino extinctum eſt. Fuerunt enim ſemper, etiam inter gentiles aliqui, qui naturalem Theologiam coluerunt, in tres claſſes a ſe diſtributam. Prima erat *Poetica*, eorum videlicet, qui Deorum ſuorum

rum laudes, cœlestia opera, & semi-deorum præclara facinora carminibus suis celebravere, uti Orpheus, Musæus, & alii, qui propterea etiam a Patribus quibusdam Clemente Alexandrino, Isidoro, & Augustino (e) Theologi nuncupantur. Atque hoc theologiæ genus a Phœnicibus & Ægyptiis originem traxisse, & ab his in cæteras quoque gentes, ipsamque Græciam penetrasse memorat Eusebius (f). Secunda fuit Theologia *Physica.* Nam quum Poetæ, qui e Prophetatum libris hauserunt Theologiam, sub arcanis sensis & fabulis multas veritates de rebus supernis abscondissent, non pauci Philosophorum industriam suam studiumque in eo collocarunt, ut præclaram Poetarum doctrinam a commentis & erroribus expurgarent, & detracto cortice veritatis nucleum extraherent. Tales fuere Heraclides, Zeno, Chrysippus, Diogenes Babylonius, Democritus, Aristoteles, Plato, &c. Tertia *Civilis* dicebatur, eratque in civitatibus penes sacerdotes, & continebat ea, quæ ad oracula, responsa, præsagia, sacrificia &c. pertinuerunt, fuitque capitis pœna decreta in eos, qui

(e) *L.* 18. *de Civit. Dei.* (f) *L.* 4. *de præpar. Evangel.*

qui quidquam in hoc Theologiæ genere ausi fuissent immutare. Ita res circa Theologiam naturalem apud gentes erant constitutæ. At supernaturalis, quæ in populo Dei, nempe in Sethi & Noemi posteris conservabatur, ab Abrahamo strenue propagata fuit, ita ut jam tum tres Scholas Theologicas, in quibus sacra doctrina exponebatur, floruisse ex antiquis Hebræorum scriptis referant Lyranus, & Cornelius a Lapide (g), nimirum unam cui Heber, alteram cui Melchisedech in urbe Cariath Sepher, tertiam cui Abraham ipse summa cum potestate præerat: atque has scholas tum Chaldæi tum Ægyptii frequentabant magno cum doctrinæ proventu. Præcipuus autem inter Veteris Testamenti theologos locus debetur Mosi, qui Dux & Doctor populi electi constitutus, hunc in omnibus, quæ ad cultum ac legem Dei & fidei mysteria adtinebant, assidue informabat, dicente ipsa S. Scriptura (h): *Veniebat ad eum populus exquirere scientiam Dei.* Hunc secuti sunt Prophetæ, quos totidem Theologiæ Magistros dixeris: hi & scholas erexere in Najoth Ramathæ (i) in Bethel, in agro Hie-

(g) *In Genes. c.* 23. (h) *Exod.* 18.
(i) 1. *Reg. c.* 19.

Hierichontino (k), in Silo, in Galgalis &c. & frequentes in iis discipulos ac auditores numerarunt, quos sacer Codex *Filios Prophetarum* nuncupat, quosque illi Patres in librorum sacrorum intelligentia, in lege Mosaica, in ritibus & ceremoniis, in divinarum rerum contemplatione sedulo informabant. His scholis propheticis amplificata populi fidelis dominatione dignitateque, præsertim Hierosolymis, successerunt publicæ Synagogæ, literarum omnium præcipue sacrarum emporia, in quarum principe intra septa Templi Solymæi collocata servator adhuc duodennis repertus est *in medio Doctorum audiens & interrogans eos* (l). In istis longo annorum intervallo floruit Theologia, usque dum distracta in sectas quatuor (Pharisæorum, Sadducæorum, Essenorum, & Herodianorum) literaria republica, his hæc, aliis alia dogmata vendentibus, ipsa sacra doctrina ingens vitium passa est, & in hæreses palam abire cæpit. Demum abolita penitus lege Mosaica, & Synagogarum fastu suppresso longe aliam sacratioremque Incarnata Dei Sapientia, Christus JEsus, theologiam condidit, in qua Apostolos suo magisterio eruditos primi ordinis Doctores constituit,

(k) 4. *Reg. c.* 2. (l) *Luc.* 2.

tuit, & per hos in omnes orbis partes ire juſſos novam Evangelii ac gratiæ legem, recondita myſteriorum & rerum ſupernaturalium doctrina plenam promulgavit. Legimus in novi teſtamenti libris Servatorem ſæpius cum Phariſæis, Scribis, ac legis peritis in ſingulare certamen deſcendiſſe: legimus Paullum in Areopago, & Stephanum in Synagoga acerrime diſputantes: legimus quoque jam Apoſtolorum temporibus Alexandriæ, Cæſareæ, & Antiochiæ theologicas ſcholas fuiſſe apertas, quibus moderandis doctiſſimi Viri Pantænus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Pierius, aliique præfecti fuerunt. Nihil vero magis ſtudium theologicum promoviſſe viſum eſt, quam quod ad eam ſusdeque vertendam natum fuit; ſiquidem exurgentibus tum in Orientali tum in Occidentali Imperio hæreſibus doctiſſimi quique ſanctiſſimique Viri in acie comparuerunt, easque qua libris conſcriptis, qua diſputationibus inſtitutis, qua Conciliis congregatis profligarunt. E Græcis fuere celebriores Dionyſius Areopagita, Ignatius Epiſcopus Antiochenus, Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus &c. e Latinis Cyprianus, Hieronymus, Ambroſius, Hilarius, Au-

gu-

gustinus, Gregorius M. Leo M. &c. Vastissimam Patrum horum Theologiam ad certam scholæ methodum revocarunt primi, S. Damascenus apud Græcos, & D. Anselmus apud Latinos; id quod postmodum meliore adhuc ordine Petrus Lombardus, Episcopus Parisinus, Magister sententiarum nuncupatus, divisis in quatuor libros Patrum Latinorum sententiis præstitit. Hunc secutus grandi huic operi perficiundo, nimirum Theologiæ Scholasticæ, ultimam manum admovit S. Thomas, Doctor Angelicus, sacramque doctrinam universam eam in formam redegit, quæ omnibus admirationi summæ fuit & est etiamnum, in cujus *Summam Angelicam* tot præstantissimi Viri sunt commentati, cujusque vestigia premunt in hodiernam usque diem bene morati Theologi, quamvis non sine uberioris eruditionis, e Conciliis, Patribus, & historiæ Ecclesiasticæ thesauro depromtæ comitatu.

§. III.
Artium & Scientiarum arcta inter se necessitudo.

VII.

Finita utraque peregrinatione, tum artium ac scientiarum per mundum, tum per ipsas artes atque scientias institu-

ta,

ta, ad Encyclopædiam proprie dictam nos accingamus. Est enim hæc arcta quædam quam illæ inter se habent, necessitudo, mutua societas, & nexus quem Græci ἐγκυκλωπαιδίαν adpellant, dum disciplinæ omnes quasi in orbem eunt, cujus medium seu centrum obtinet illa, cui singulari ratione ac studio se quisquam addixit. Qua de re Viri gravissimi jam olim pronunciarunt: Aristoteles quidem (m), ἐπικοινωνῦς, πᾶσαι αἱ ἐπιςῆμαι ἀλλήλαις, id est, *omnes artes communicare inter se.* Plato autem (n) πασῶν τούτων δεσμὸς εἷς, seu *harum omnium unum esse vinculum.* Hoc ut rite intelligamus, per insigniores disciplinas ire juvat, & adamantinum illud vinculum, quo inter se colligatæ sunt, velut oculis intueri.

Grammatice ars est, quæ emendate loqui ac scribere docet. Verum hoc intelligi oportet, quantum quidem ad informandam in primis literarum elementis pueritiam opus est. At Grammatici perfecti & in arte Magistri nomen & munus amplius quid requirunt, magisque reconditum, videlicet, ut res quascunque in hac mundi universitate occurrentes insignire possit propriis ac genuinis characteribus, id est, qua vocabulis qua epithetis, quæ natu-

(m) *Anal. Post. l.* 1. *b.* 11. (n) *In Epinom.*

turam, indolem, & virtutem illarum palam faciant: Neque hoc ſatis eſt, eos quoque modos ac phraſes loquendi callere debet, quibus res diverſiſſimas ac pene infinitas ſuis dotibus exornatas, & nativis coloribus depictas veluti ſpectandas exhibeat, cultu quodam ſimplice quidem, ſed emphatico. Qua vero ratione id faciet, ſi de cœlo, & ſideribus: de elementis, plantis & animalibus, deque aliis naturæ phænomenis: ſi de bello, prælio, obſidione: de ventis, mari, & navigatione: ſi de corporis humani, partibus, de morbis & pharmacis: ſi de juribus, tribunalibus, & judiciis publicis: ſi demum de rebus cœleſtibus, de fidei myſteriis, ſi de ſacris ritibus, Angelis & Deo diſtincte ac ſcite differendum ipſi erit, niſi harum omnium rerum naturam & proprietates exploratas habeat, niſi aliqua ſaltem Philoſophiæ, Matheſeos, Geographiæ, rei militaris, & nauticæ, Medicinæ, Jurium ac Theologiæ notitia ſit imbutus? Profecto Tullius dictum aliquod ſuum *de remigibus curſum navis inhibentibus*, quod libro primo de Oratore protulit, ſeptem annos poſt melius obſervata navi aliqua, quæ ad villam ſuam adpulerat, in epiſtola 21. libri tertii ad Atticum emendare non erubuit, ſuumque

que

que errorem fateri, qui ex inſcitia rei nauticæ proficiſcebatur, uti pluribus referam libro ſequente de Grammatica Cap. III. §. III.

Quanta non Poeſis & Hiſtoria nobis canit & narrat de ventis & mari, de tempeſtatibus: de armis, pugnis, obſidionibus, & victoriis: de regionum ſitu & cultu: de ſideribus, de hominum moribus, de ſacris, de Diis? deſcribit hæc omnia, & vivis coloribus depingit, ita ut qui legit, præſens eſſe, ac ſuis cuncta oculis uſurpare ſibi videatur. An hoc unquam adſequi poſterit Poeta vel Hiſtoriographus ſine aliarum artium & ſcientiarum ſat multarum adminiculo? novimus Homerum & Virgilium, Livium & Julium Cæſarem non ſolum artis Poeticæ ac Hiſtoriæ principes, ſed etiam geographiæ, aſtronomiæ, artis bellicæ, Ethicæ ac Philoſophiæ admodum peritos fuiſſe.

De Rhetorica res eſt in propatulo. Nam hujus officium eſt, ſi Ciceroni credimus, de omni re bene dicere poſſe. Debet orator exornare præclara facta, caſtigare ſcelera & mores perverſos, ſuadere virtutem, conſulere bono reipublicæ, defendere in foro innocentes, & illorum cauſas ac patrocinium ſuſcipe-

pere. Fruſtra erit, nec tanti nominis menſuram implebit, ſi cum ſola verborum copia, figuris rhetoricis, & periodorum grandi ambitu in foro & roſtris compareat. Quam divite aliarum ſcientiarum ſupellectile, præſertim Philoſophiæ quæ de moribus agit, Hiſtoriæ, ac Juris Romani Cicero fuerit inſtructus, non ſolum ipſius orationes, ſed omnes alii quos ſcripſit libri luculenter demonſtrant.

VIII.

Philoſophiæ *diſputationibus* Deus totum qua late patet *mundum tradidit* (o). Neſcio autem, an de mundo, quem dividunt in *ſubterraneum*, *ſublunarem*, & *cæleſtem*, absque geometria, mechanica, & univerſa propemodum matheſi; de animæ immortalis, ſpiritualis & liberæ conditione, de Deo & cœleſtibus Geniis ſine Theologia: de Ethica ſeu morum doctrina citra juris naturalis ac politici cognitionem rite quis poſſit philoſophari.

Medicina quoque aliarum artium & ſcientiarum auxiliaribus copiis opus habet. Debet herbarum, plantarum & foſſilium naturam & dotes intime perſpectas ha-

(o) *Eccleſ.* 3.

habere: debet totius corporis humani ſtructuram & compagem, partium fluidarum & ſolidarum temperationem, ſanguinis per venas & arterias circuitionem noſſe: debet quoque temporum viciſſitudinem, & ſiderum vim ac poteſtatem in humana corpora obſervare: demum debet probe intelligere, quid officii ſui ſit in adhibendis pharmacis, ac medendi methodo; quidve bona conſcientia circa ægrotos curæ ſuæ comiſſos tentare, agereque ſibi liceat, ne graviſſimam vitæ humanæ ac meliori hominis parti, ſcilicet ſanitati, injuriam ac damnum inferat. Hæc & alia in conſilium adhibere jubent Philoſophiam naturalem & phyſicam, Mechanicam & Staticam, Aſtronomicam & Theologiam moralem.

Ampliores adhuc fines poſcit Jurisprudentia, utpote quæ tum ad publica jura de bello & pace, de fœderibus, de monetæ pretio ſtatuendo, de alta ut vocant, ſeu ſuprema jurisdictione Principis in bona & vitam ſubditorum: tum ad civiles controverſias de dominiis, de finibus agrorum, de fundis, de ultimis voluntatibus &c. decidendas; tum ad Eccleſiaſtica munia adminiſtranda, ad lites inter ſponſos & conjuges componendas, ad beneficia

erigenda, conferenda, & permutanda, ad pœnas Ecclesiasticas infligendas, ad electionem Præsulum, ad Rectores Paræciarum constituendos &c. se se extendit. Hæc omnia ut rite fiant, historiam sacram & profanam, antiqua & nova Imperii jura, geometriam, notitiam rei quam dicunt numariæ & diplomaticæ, Pontificum & Conciliorum Sanctiones & Constitutiones in subsidium vocare oportebit.

Denique Theologia, quæ inter disciplinas reliquas facile principatum obtinet, sine Philosophia non potest de divinis recte ratiocinari, sine arte eloquentiæ in sacris pulpitis & Conciliis differere, sine Jurisprudentia conscientias regere, ac exposcentibus consilia dare, sacroque in tribunali pœnitentibus jus dicere, sine historia Ecclesiastica debellare hæreses, & antiquorum Patrum ac Ecclesiæ orthodoxiam sartam tectamque servare.

Ecce! quam dixi encyclopædiam, seu arctissimum artium & scientiarum inter se nexum ac vinculum, quod si rumpatur, mundi quoque pulcherrima, quam supremus Conditor Deus induxit, harmonia in discrimen adducetur. Ut rem hanc exemplo aliquo confirmem, non injucundum erit audire, quid in Architecto

M. Pollio Vitruvius, artis hujus citra controversiam princeps, requirat; nempe quibus disciplinarum præsidiis ejusmodi Architectus numeris suis absolutus debeat esse instructus. Inprimis qualicunque, ait (p) literarum cognitione polleat necesse est, ut aliorum scripta & inventa legere possit ac intelligere: graphidis quoque sit peritus, ut literis mandare possit ingeniosos animi partus, & operis struendi speciem in charta exprimere: tum geometriæ præceptis imbutus sit oportet, quæ Architecto tam in delineationibus quam in distributionibus figurarum maxima præstat obsequia: præterea Opticam calleat, e qua ratio luminis in conclavia immittendi desumenda: Arithmetica eundem docebit sumtuum necessariorum computum inire; historia vero, ut rationes reddere possit ornamentorum, partibus ædium præcipue fulcris & sculpturis adplicatorum: etiam Philosophia, quæ de moribus agit, tinctum esse necesse est, ne arrogans sit, nec avarus, sed magno animo ad moliendas res magnas expedito, facilis, æquus, benignus: Medicina methodum subministrabit aquarum & aeris salubritatem explorandi: Jurisprudentia communium parietum, stillicidiorum, cloa-

(p) *L.* I. *Archit. c.* 5.

cloacarum, feneſtrarum, aquæ ductuum jura cognoſcendi, ne patrifamilias ædibus exſtructis lites moveantur: denique aſtronomiæ expertem eſſe Architectum non decet, quæ climatum ac diverſarum plagarum tum cognitionem tum naturam docet, in conclavium diſpoſitione neutiquam negligendam. Ita Vitruvius, qui ſi tot tamque diverſarum artium & ſcientiarum ideas atque notitiam in unius magni nominis Architecti cerebro reſidere voluit, certe optavit; quid in Rhetore, Philoſopho, Medico aut Jurisconſulto excellente eum exacturum fuiſſe exiſtimamus? Nimirum probe novit vir ſagaciſſimus, quanta quamque arcta inter diſciplinas neceſſitudo intercedat, ita ut unam ſine plurium aliarum comitatu in publicum cum dignitate prodire nefas foret.

IX.

Verum nec pauca ſunt, nec in ſpeciem levia, quæ contra hoc encyclopædiæ parandæ ſtudium a quibusdam opponuntur. Ajunt enim, inprimis tot diſciplinarum tractatione, dum vaſtam nimirum eruditionis molem exſtruere conamur, illarum ideas inter ſe confundi, non ſecus ac linguas olim ad turrim Babel, quam

Gigantes illi ſupra nubes attollere tentarunt: animum non tam informari bonis artibus, quam multitudine obrui, cui capiendæ nec mens, nec corpus, nec vita ſufficeret: ſatius igitur fore, uni vel alteri arti aut ſcientiæ ſe totum tradere, quam per multas vagari ita, ut omnia excutiantur diverſoria, nusquam autem ſtabile domicilium figatur, atque ſic ſimus ubique hoſpites, nullibi domeſtici. Quamobrem præclare dixit ille: *Qui ubique vult eſſe, demum nullibi erit.* Porro omnium diſciplinarum memoria nimium fatigat mentem, ejusque vires hebetat, ita ut poſtmodum in neceſſariis deficiat atque ſuccumbat; quæ res plurimum nocumenti adfert reipublicæ, dum non paucos reperire ſit illorum, qui quotquot occurrunt, libros impigro ſtudio perluſtrant eruditionis comparandæ gratia, interea neceſſarium ac deſtinatum publico, quod ipſis incumbit, officio tempus ſuffurantur, & quantum illi adjiciunt, tantum huic detrahunt; tum vero graviſſimas ſæpe cauſas ac ſeria negotia muneris ſui obiter & cum neglectu pertractant; ut nihil dicam, tot diverſarum rerum memoriam ſanum ac purum judicium, quod tamen omnibus præferendum eſt, corrumpere. Quippe hoc longa & accurata

re-

rerum singularum meditatione atque criterio paratur, quod profecto facere nequeunt, qui desultorio impetu per omnes disciplinas feruntur. Hinc natum est adagium: *Multa memoria obest judicio.* Præterea plus sæpe vanitatis ac fuci, quam solidæ eruditionis ac doctrinæ hoc in studio latet: *tam vanum nihil esse puta,* inquiebat Laertius, *quam discere multa.* Non raro huic se dedunt homines, qui desperant de conspicuo aliquo inter doctos gradu obtinendo, videri tamen volunt, ac *digito monstrari & dicier: hic est:* ut Poeta satyricus canit. Esse cupiunt Bibliothecæ ambulantes, immo Atlantes, qui totum literarium orbem humeris suis sustineant. Demum ubi sunt fortunatæ illæ insulæ, in quibus nascantur homines, qui simul sint Rhetores, Poetæ, Mathematici, Philosophi, Historici, Medici, Juristæ, Theologi? nimium brevis est vita, quam ut his omnibus disciplinis perdiscendis sufficiat. Bonus civis est, non qui in omnia reipublicæ munia involat, sed qui suo rite fungitur. Hæc sane Veterum quoque sapientum hoc in negotio mens & judicium erat. Heraclitus dudum pronunciavit: πολυμαθίη νόον ὐ διδάσκει. *Mentem non docet multiplex eruditio:* Sene-

ca *aportere* ajebat (q) *parari librorum quantum ſatis eſt, nihil in apparatum.* Et alibi unius libri lectionem laudavit: Plinius (r) multum legendum eſſe monet, non multa: Virgilius quoque cecinit (s):

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Atque hoc ipſum eſt, cur multis prudentum haud probetur juventutis, maxime nobilioris, informatio præcipitata, quæ hoc ævo invaleſcit, nimirum ut ephebos necdum egreſſus puer Arithmeticam, Geometriam, Geographiam, Mechanicam, Hydroſtaticam, Architecturam civilem & militarem, Hiſtoriam, Genealogiam, Heraldicam, Politicam, Oeconomicam, Jus publicum, Naturæ ac Gentium, aliaque majoribus noſtris incognita ediſcere, ac balbutiente lingua, & memoria adhuc non ſatis firma proferre cogatur, conatus necdum maturos ſequente abortu.

X.

Nihilominus objecta hæc, quamvis magnam iis vim ineſſe non diffitear contra illos, qui absque conſilio & ductore rem

(q) *De tranquil. animi c.* 9. (r) *Epiſt.* 9. *l.* 7. (s) *Georg. l.* 2.

rem tanti momenti adgrediuntur, tamen Encyclopædiæ ſtudio rite inſtituto obeſſe nec poſſe nec debere fidenter adfirmo. Non enim ſatis intelligo, cur non in republica literaria liceat, quod in vita civili decorum eſſe creditur. Quot non ſunt, qui ſi facultates non deſint, nec quæ curta domi ſupellex eſt, prohibeat, patriæ ſuæ finibus haud contenti ad exteras regiones inviſunt, provincias regna, & plagas etiam longe remotas ac ſoli ſeu orienti ſeu occidenti vicinas, nec ſine incommodis ac periculis luſtrant, ſique maturo judicio polleant aut peritos moderatores ad latus habeant, magna antiquitatum, monumentorum, morum, regiminum formæ notitia, omnisque generis literaturæ ſupellectile divites domum revertuntur, qua inſtructi in Nobilium conventibus & literatorum circulis comparentes eruditorum hominum famam & nomen merito conſequuntur. Talis erat Ulyſſes apud Homerum:

Qui mores hominum multorum vidit
& urbes.

Et cur non illis quoque, qui ingenii viribus valent, nec induſtria deſtituuntur, per varias Artes & Scientias ſecuris peregrinari liceat, & in harum regionibus

collectos placitorum, doctrinarum, inventionum ac experimentorum thesauros tanquam eruditionis spolia in literaturæ suæ penum comportare, iisque ditatos, quando fert occasio, in scholis, in publicis congressibus, in libris, inque foro literario comparere? Profecto nimis angustos & Numinis liberalitati & humano ingenio limites ponunt, qui e tot liberalibus artibus ac disciplinis mortalium usui concessis singulas tantum singulis velut ad libram dimensas indulgent, nulli plures concedere volunt. Invenit medicina pro singulis morbis singula medicamenta: quis propterea repudiat Panaceas, Theriacas, Mithridaticum, quæ valent contra omnes morbos? Respublica literaria non minus quam politica habet emporia sua, in quibus varii generis merces quivis, quantum facultates patiuntur, comparare sibi potest: habet diversas stabilesque sedes, ubi artium ac scientiarum cimelia publico conspectui, & quasi venum exponit. Novimus, antiquis jam temporibus fuisse Villam non procul Romæ dissitam seu *Tusculanum Ciceronis*, hortum seu *Plantanum Socratis*, Ferias seu *Saturnalia Macrobii*, quibus in locis doctissimi quique Viri convenerant, & de varia Scientiarum omnium disciplina sym-

ſymbolam quisque ſuam conferebat. Novimus etiam hodie in celebrioribus quibusdam civitatibus Academias inſtitui, in quibus honoratiſſimi literarum cultores conventus ſuos celebrant, & præclaras de omni eruditionis genere vel quæſtiones proponunt vel diſſertationes palam recitant. Et cur non ſequamur hac quoque in re veterum heroum veſtigia, quorum etiam mutulos pedes aut manus, fragmenta trophæorum, quin & literas vetuſtate exeſas in ſaxis & marmorum fruſtris hoc maxime ſeculo tanto ardore conquirimus, veneramur, & vix non exoſculamur? Audeamus etiam aliquid, poſteritatis memoria dignum, quod ſi illi non feciſſent, nos certe exemplis ad imitationem & eruditionis propagationem deſtitueremur. Encyclopædiam excultam fuiſſe a Platone ac Ariſtotele ſatis produnt ipſorum libri, quos ille de Philoſophia, Theologia naturali, deque Republica omni diſciplinarum genere inſtructiſſima, quam *Platonicam* vocant: hic de Pœſi, de Rhetorica, de Dialectica, Phyſica, Ethica, de Meteoris de animalium hiſtoria &c. ſcripſit. Elæum Hippiam teſtatur Cicero (t) gloriatum eſſe cuncta pene audiente Græcia, nihil eſſe in ulla arte rerum omnium,

(t) *Lib.* 3. *de Orat. c.* 32.

nium, quod ipſe neſciret. Idem Tullius prodit (u) de Leontino Gorgia, quod de omni re, quæcunque in diſceptationem vocaretur, ſe copioſiſſime dicturum eſſe profeſſus ſit, qua de re quisque vellet audire. Ipſe Cicero inter tot forenſes & civiles curas Orator ſummus, idem egregius Philoſophus, nec Poeta ignobilis, idem Juris peritiſſimus. Sed quid antiqua nimiumque remota tempora commemoro? habuerunt poſteriora ſecula nobisque vicina Antonium Poſſevinum, Jacobum Gretſerum, Dionyſium Petavium, Philippum Labbeum, quatuor ex Societate JEſu, Ludovicum Vives, Picum Comitem Mirandulæ, Juſtum Lipſium, Laurentium Beyrlinckium: habuerunt poſtrema Joannem Mabillonium, Auguſtinum Calmet, Patres Hiſtoriographos Antverpienſes, quos Bollandiſtas a primo auctore Bollando vocant, Scipionem Maffeium, Ludovicum Antonium Muratorium, hujusque in præfectura Bibliothecæ Mutinenſis ſucceſſorem Franciſcum Antonium Zachariam S. J. qui editis in lucem potiſſimum vaſtis voluminibus omnigenæ eruditionis famam ſunt conſecuti. Monui autem jam in Procemio, ſobrie caſteque encyclopædiam eſſe tractandam, cujus rei

(u) *Ibidem.*

rei ſequentes leges, & veluti canones ſtatuere licebit. Primus eſto, ut fortiora duntaxat ingenia, ſeu homines qui mentis acie quidvis penetrante, ac felici memoria pollent, id laboris in ſe ſuſcipiant, ne medio in curſu ſuccumbant, neſcientes *quid valeant humeri, quid ferre recuſent.* Alter, ut ſint eorum e numero, quibus otium & facultas legendi ſtudendive ſuppetit, ne vel inſtituti ſui ratione, vel publici muneris religione ad unius alteriusve ſolum diſciplinæ profeſſionem adſtricti ea negligant, quæ muneris ſui ſunt, quarumque rationem & Reipublicæ & Deo reddere debebunt. Tertius, ut etiam illi, qui a natura & cœlo dotibus ad rem tantæ molis ſuſtinendam ſufficientibus ſunt inſtructi, in una vel altera præ reliquis excellere ſtudeant, aliarum vero notitiam etſi non perfectam, nec tamen mediocrem, ſibi comparare ſtudeant, ita ut in illa, quam ſibi veluti metam præfixere, ſint domeſtici, in cæteris non peregrini; quemadmodum Plutarchus ſimilitudine uſus ſcite admonebat eruditionis cupidos: *Mercatoris more perambulandas quidem civitates omnes, morandum autem in una.* Quippe admodum rara ſunt ſecula, quæ ingenium omnium diſciplinarum capax, ne dicam in

omni-

omnibus excellens, fausto partu in lucem dederunt; nec sibi promittere tantam felicitatem facile poterit quisquam, nisi quem præ cæteris *amaverit Jupiter æquus.*



CAPUT II.

SEDES ARTIUM ET SCIENTIARUM.

§. I.

Academiæ ac Scholæ publicæ.

XI.

Peregrinationum finis esse solet, ut collectis seu mercibus, seu rerum multarum variarumque hausta notitia tandem stabilis sedes alicubi figatur, ubi opibus istis & multiplici supellectile secum advecta cum voluptate frui, & tranquillam inter spolia isthæc vitam agere liceat. Vidimus peregrinantes longo & temporis & regionum tractu bonas artes & scientias, nullibi tamen stabiles ea ætate, qua velut de manu in manum transibant, & inter paucas familias illarum arcana sermonis solum & oris beneficio tradita servabantur, atque ut ita dicam

dicam ſub œconomica potius quam civili gubernatione ſtabant. At poſtquam ſcholæ publicæ & Academiæ erigi, conſtrui Bibliothecæ, literati conventus inſtitui, ac ſcientiarum Societates iniri cœperunt, tum enimvero velut peregrinationis ſuæ terminum & fructum conſecutæ domicilium in iſtis fixerunt, ſuasque divitias & theſauros palam expoſuerunt. Quare Caput iſtud ſecundum de Academiis & Scholis tractabit, cujus rei notitia literatum hominem vel maxime decet. Academia græcis ἀκαδημία locus erat nemoroſus, mille paſſus ab Athenis diſtans, qui nomen ſuum debet Academo Heroi, vel potius Ecademo, uti canit Horatius (x):

Scilicet ut poſſim curvo dignoſcere rectum,
Atque inter ſylvas Academi quærere verum.

Hoc in loco natus Plato ille divinus poſtmodum natale ſolum longo illuſtrius reddidit erecta ſchola, in qua Philoſophiam profeſſus eſt, confluente magna Auditorum frequentia, qui ab hoc ipſo loco Academici vocabantur, non minus quam Stoici a Stoa, & Areopago Areopagitæ. Platonem inter diſcipulos ſuos conſpicuum Heros his celebrat verſibus apud Laertium:

Hoc

(x) *Lib. 2. Epiſt.*

Hos inter dux ille Plato celsissimus ibat,
Cujus ab ore melos manabat, quale Hecademi
Arbustis lepida modulantur voce cicadæ.

Erat igitur Academia inferius Gymnasium seu ludus literarius; quippe superiori, in quo Aristoteles scholam suam erexit, eique præerat, Lycei nomen impositum fuit: uterqúe autem locus & inferior & superior *ambulatio* dicebatur, quoniam Philosophi illi inambulantes disputabant. Rem totam Cicero (y) ita prodit: „ Platonis auctoritate „ una & consentiens duobus vocabulis Philosophiæ forma instituta est, Academicorum & Peripateticorum, qui rebus „ cóngruentes nominibus differebant. „ Nam cum Plato Speusippum sororis suæ „ filium quasi hæredem reliquisset, duos „ autem præstantissimos studio æque ac „ doctrina Xenocratum Chalcedonium, „ & Aristotelem Stagiritem, qui erant „ cum Aristotele, Peripatetici dicti, „ quia disputabant inambulantes Lyceo: „ illi autem, qui Platonis instituto in Academia (quod est alterum Gymnasium) „ cœtus erant, & sermones haberi soliti „ e loci vocabulo nomen habuerunt. „ Jam vero locus iste veluti fons erat, & origo, quemadmodum in primis aquarum fonti-

(y) *Lib.* 1. *Acad.*

fontibus quantumcumque parvis, postea tamen in flumina maxima excrescentibus fieri adsuevit, fons inquam erat & origo non solum vastissimæ illius Academiæ Atheniensis, in cujus sinum immigrabant omnis generis artes & scientiæ, in qua tot sapientiæ Proceres quot disciplinarum Professores surrexerunt, in quam totius Græciæ, quin & Romanæ Reipublicæ juventus erudienda confluxit, verum etiam omnium aliarum orbis Academiarum, uti Cicero fatetur (z): *Ex hac urbe doctrinam in omnes terras distributam esse.* Quod autem præclare dixit Tullius tum de Academia, tum de Lyceo Atheniensium, exemplo suo & imitatione illustrius reddere non dubitavit. Nam in villa, quam habuit in agro Neapolitano ad Avernum lacum non procul Puteolis in litore sitam, portu & nemore vicino amænissimam, ipse Academiam quandam instituit ad normam Athenarum, ubi otio literario indulgens & Virorum ævi sui doctissimorum consortio usus varias quæstiones proposuit, simulque conscripsit, quibus *Quæstionum Academicarum* nomen indidit. Præterea in fundo Tusculano Gymnasium aperuit, quod ad Aristotelicæ scholæ imitationem Lyceum nuncupari voluit, de quo

(z) *Orat. pro Flacco.*

quo (a) ita refert: *Nuper quum essem cum Q. Fratre in Tusculano, disputatum erat. Nam quum ambulandi caussa in Lyceum (id enim superiori gymnasio nomen est) perlegi tuum paullo ante tertium &c.* Hæc de Academia & Lyceo Atheniensi, parente fœcundissima aliarum per orbem Academiarum atque scholarum.

Non minus celeberrima illis ipsis temporibus erat Academia Alexandrina. Fuit hæc Ægyptiis, quod Athenæ Græcis fuere. Nam omnium disciplinarum scholæ ibidem florebant frequentia & discipulorum & Magistrorum expertissimorum, uti Strabo (b) testatur; quibus animos & vires addebant Ægypti Reges, Ptolomæi dicti, non solum salariis & præmiis ingentibus, sed etiam bibliotheca celebri septingentorum millium libris instructissima. Huic Academiæ Philosophiam suam sartam tectamque servatam bis ipsa debuit Græcia. Quippe primum post Alexandri M. fatum, quum ob intestina bella, quæ successores illius diuturno tempore ac pertinacissime inter se gesserant, literæ ac artes tota Græcia exularent, viri literati Alexandriam se receperunt, ibique quietum Musis suis portum invenere, donec discussa bellorum tempestate in patriam secu-

(a) *Lib. 4. de Div.* (b) *Lib. 14.*

securis redire licuerit: tum vero viceversa, quando Ptolomæus Cacergetes dictus, septimus non tam Rex quam Tyrannus Ægypto dominabatur, optimis quibusque civibus partim cæsis partim in exilium actis Alexandrini in insulis & urbibus Græciæ asylum & quæsiverunt & invenerunt, quo tempore ipsorum sapientes Atheniensem quoque Academiam literis suis, in quibus excellebant, cum maximo Græcorum proventu illustrarunt. Major autem & novus Alexandrinæ urbi & Academiæ splendor accessit SS. Literarum doctrina & professione, a primis Christianis post Evangelii promulgationem illic introducta, ut meminit Eusebius Cæsariensis (c): *Docebat*, inquiens, *Pantænus Alexandriæ, cum ex antiquo schola illic constituta esset SS. Literarum, quæ ad nostra tempora pervenit.* Huic præfuit primus, vir omni eruditionis genere clarus, & jam antea inter Stoicos Philosophos celebris, de quo dixi Pantænus, cui successere Clemens, Origenes, Heraclas, Dionysius, omnes non in sacris tantum, sed & profanis scientiis exercitatissimi, ita ut Nazianzenus scholam illam adpellet *officinam pulcherrimam omnis doctrinæ*, e qua prodierunt Eusebius Emissenus, Basilius, ejus-

(c) *Lib.* 5. *Hist. Eccles.*

ejusque frater Cæſareus. Porro tantæ auctoritatis erat hæc Academia, ut alio haud indigeret ſtudiorum teſtimonio, qui dicere poterat, Alexandriæ ſe fuiſſe eruditum, ſed vel ſolum hoc ſufficeret. Poſtquam vero diu ita floruit, tandem paſſa eſt ruinam ſub Aureliano Imperatore, quando urbs ipſa civilibus diſcordiis concuſſa regionis maximam partem amiſit, quæ Bruchium nuncupatur, atque cum ea diuturnum præſtantium hominum domicilium, uti loquitur & teſtatur Ammianus.

XII.

Poſt has duas ante Chriſtum natum præcipuas Orbis Academias memoranda venit Romana, cujus initia ab eo tempore peti debent, quo Romani poſt devictas gentes & ſtabilitam Rempublicam e Græcia bonas artes & literas omnis generis in Urbem introduxere. Primum quidem eſſe quaſi colonia quædam Athenarum videri poterat ſchola Romana tempore Reipublicæ: tum vero ſemper magis magisque culta, & diſciplinis ac magiſtris aucta in Academiam excrevit, ſuaque mole ſtetit tempore Imperii: demum circa ſeculum V. Athenæ ipſæ cum diſciplinis ſuis migraſſe Romam viſæ ſunt, ibique ſedem fixiſſe, canente Claudiano:

In

In Latium ſpretis Academia migrat Athenis.

De Julio Cæſare Annales produnt, ab eo liberalium artium Profeſſores, ipſosque adoleſcentes ſtudioſos civitate donatos fuiſſe: illos quidem, ut majori cum voluptate, fructu & auctoritate docerent, hos vero, ut tanta dignitate, quæ ſane maxima habebatur, allecti eo frequentiores in Urbem confluerent, ac literis addiſcendis operam darent. Qui Julio ſucceſſit Auguſtus, orbe pacato & clauſis belli portis munificentia majeſtateque ſua bonarum artium ſtudia protegebat, fovebatque plurimum, ita quidem, ut licet ob annonæ caritatem peregrinos omnes Urbe excedere coegerit, literarum tamen Profeſſores & Alumnos in ea perſiſtere, deque alimentis abunde iis proſpici juſſerit. Sequentium quoque Imperatorum aliquot inſignes exhibuere favores, quorum monumenta exſtant hodie adhuc in Corpore Juris civilis. Ita (d) ſtatuitur: *Cum filius familias viaticum ſuum mutuum dederit, cum ſtudiorum cauſa Romæ ageret, reſponſum eſt a Scævola, extraordinario judicio eſſe illi ſubveniendum.* Ita

(d) *L. cum. filius familias ff. de rebus creditis.*

Ita (e) *si filius familias legationis vel studiorum causa aberit, & vel furtum vel damnum injuria passus sit, posse eum utili judicio agere* (etiam patre absente) *ne dum pater exspectatur, impunita sint maleficia.* Ita (f) *Philosophi, Oratores, Grammatici, Medici, qui publice juvenibus præsunt, excusantur a tutelis.* Item: *Romæ philosophantem cum salario vel sine salario remissionem* (scilicet a tutelis suscipiendis) *habere promulgatum est a Divo Severo & Antonino, ita ac si in propria patria doceret.* Quare jam tum vestigia jurium ac privilegiorum, quibus ornati erant Professores artium, & studiosi in Urbe, quæque nonnisi Academiis concedi solent, deprehendere licet. Porro iis quoque temporibus ex omnium provinciarum, quas armis subjugarunt, florentissimis gymnasiis præstantes doctrina viros, libros, quin & ipsas artes Romam migrare jusserunt Principes, eo consilio, ut in Urbe deinceps sola, tanquam Imperii sede, disciplinarum omnis generis studium dominaretur. Certe Erphordio auctore seculo Christi II. Divus Hadrianus sapientiæ domicilium Athenis Ro-

(e) *L. si longius ff. de Judiciis.*

(f) *L. sed & reprobari §. finali. ff. de excus. tut.*

Romam transtulit, ita quidem, ut modo ipsi quoque Athenienses aliquot pueros dociles eo mitterent, qui latinam linguam & literas perdiscerent, ad alios postea in patria sua iis imbuendos. Hinc dubium esse non potest, primordia Academiæ Romanæ inchoatæ a Reipublicæ, stabilitæ vero ab Imperii temporibus esse ducenda, ita ut duo primi ejusdem auctotes habendi sint Vespasianus & Hadrianus, quorum primus salaria Professoribus publicis constituit, alter Athenæum seu scholam eisdem construxit. Fateri nihilominus oportet, nunc plus nunc minus floruisse Romana studia, prout erat Imperatorum ac Principum indoles, quorum aliqui effeminati nonnisi luxui, conviviis, atque deliciis indulgebant, alii crudeles quotidianis fere necibus ac lanienis Christianorum occupabantur: unde etiam nihil Pontifices, nihil Ecclesiæ novellæ Sapientes ad rei literariæ utilitatem ac incrementum Romæ conferre poterant. Equidem devictis tyrannis Constantinus M. rerum potitus Ecclesiæ pacem restituit, & rempublicam Christianam ad eximium splendoris gradum evexit: sed tunc & Imperator & Christi Vicarii ædificandis Basilicis, conocandis Conciliis, rebusque Catholicæ fidei per totum urbem ordinandis erant

intenti: poſtmodum vero Conſtantinus in nova Imperii ſede Conſtantinopoli ſtruenda ornandaque, Pontifices in ſede ſua Romæ ſtabilienda diſtinebantur. Major lux adfulſit tum ipſi Academiæ Romanæ, tum ejusdem famæ ſeculo IV. ſub Valentiniano, Valente, & Gratiano, atque Theodoſio M. Exſtat enim præclara Imperatorum iſtorum ſanctio ad Olybrium P. V. in Codice Theodoſiano (g): „ Quicunque ad Urbem diſcendi cupiditate „ veniunt, primitus ad Magiſtratum „ Cenſus provincialium judicum, a quibus copia eſt danda veniundi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales, & merita expreſſa „ teneantur. Deinde ut in primo ſtatim „ profiteantur introitu, quibus potiſſimum ſtudiis operam navare proponant. „ Tertio, ut hoſpitia eorum ſolicite Cenſualium norit Officium, quo ei rei impertiant curam, quam ſe aſſeruerint „ expetiiſſe. Iidem immineant Cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent, „ qui turpem inhoneſtamque famam, & „ conſociationes (quas proximas eſſe putamus criminibus) æſtiment fugiendas: „ neve ſpectacula frequentius adeant, „ aut

(g) *L.* 1. *Cod. Theodoſ. de ſtudiis.*

„ aut appetant vulgo intempeſtiva con-
„ vivia. Quin etiam tribuimus poteſta-
„ tem, ut ſi quis de his non ita in Urbe
„ ſe geſſerit, quemadmodum liberalium
„ rerum dignitas poſcit, publice verbe-
„ ribus adfectus, ſtatimque navigio ſu-
„ perpoſitus abjiciatur Urbe, domumque
„ redeat. „ Hæc ad diſciplinam bene ordinatæ Academiæ pertinent. Quod vero ad pleniorem Academiæ Romanæ notitiam ſpectat, eſt quod Codici Theodoſiano inſertum legitur (h), ubi inter alia, poſtquam literarum Magiſtros, qui privata auctoritate ſe ſe intrudunt, & ſolum ad oſtentationem vulgarem ſerviunt, Urbe pelli præcipit, ita pergit Imperator: „ Illos vero,
„ qui intra plurimarum domos eadem
„ exercere privatim ſtudia conſueverunt,
„ ſi ipſis tantummodo diſcipulis vacare
„ maluerint, quos intra parietes dome-
„ ſticos docent, nulla hujusmodi intermi-
„ natione prohibemus. Sin autem ex
„ eorum numero fuerint, qui videntur
„ intra Capitolii Auditorium conſtituti,
„ his omnibus modis privatarum ædium
„ ſtudia ſibi interdicta eſſe cognoſcant:
„ ſcitu-

(h) *L. univerſos. Cod. de ſtudiis liberalibus urbis Romæ, & Conſtantinopolitanæ.*

„ scituri, quod si adversus cœlestia statuta facientes deprehensi fuerunt, nil penitus ex illis privilegiis consequantur, quæ his, qui in Capitolio tantummodo docere præcepti sunt, merito deferuntur. Habeat igitur Auditorium specialiter nostrum in his primum, quos Romanæ eloquentiæ doctrina commendat, Oratores quidem tres numero, Grammaticos vero decem. In his etiam, qui facundia gravitatis pollere noscuntur, quinque numero sint Sophistæ, & Grammatici æque decem. Et quoniam non his artibus tantum adolescentiam gloriosam optamus institui, profundiori quoque scientiæ atque doctrinæ memoratis Magistris sociamus Auctores. Unum igitur adjungi cæteris volumus, qui Philosophiæ arcana rimetur. Duos quoque qui Juris ac legum voluntates pandant, ita ut unicuique loca specialiter deputata adsignari faciat tua sublimitas &c. „
Atque hæc conceptis verbis in medium adducere mihi visum est peropportunum, quum ex iis pateat primo, varias tum temporis scholas fuisse Romæ, sed privatas duntaxat: Secundo propriam Academiæ auctoritate Imperatoria erectæ, & privilegiis instructæ (quam Auditorium specia-

cialiter noſtrum vocat Imperator) quarto jam poſt Chriſtum natum ſeculo ſedem fuiſſe ſtabilem in Capitolio. Tertio, certos diverſarum ſcientiarum & artium Profeſſores in illa fuiſſe eadem Auctoritate Cæſarea conſtitutos, quæ duo poſtrema nonniſi Academiis & Univerſitatibus propria ſunt.

Interea Imperatorum in Academiam hanc ſtudio ſucceſſit Pontificum ſummorum non minor cura & liberalitas. Quippe ut alios prætercam, Urbanus IV. D. Thomam Aquinatem, ſolem illum S. Doctrinæ, Romam evocavit, qui ingenio & conſiliis Theologiæ ſtudium inſigniter promovit, & ſucceſſoris Clementis IV. hortatu præclara illa in divinam & humanam philoſophiam commentaria ſcripſit. Ab eo tempore ſchola Theologica *univerſitas ſacri Palatii* nuncupari cœpit, quum eam in ipſo Pontificis palatio eſſe voluerit Honorius III. Papa pluribus conſtitutis Profeſſoribus, quorum aliqui S. Scripturis explicandis, alii rebus theologicis tractandis, vel hæreticis refellendis incumbebant. Innocentius IV. Generalis ſtudii jura ei conceſſit. Verba ipſius ſunt (i): *Cum de diverſis mundi partibus multi confluant ad ſedem Apoſto-li-*

(i) *Cap.* 2. *de Privilegiis in* 6.

licam, quasi Matrem, nos ad commune tam ipsorum quam aliorum omnium commodum & profectum paterna solicitudine intendentes, ut sit iis mora hæc fructuosa, providimus, quod ibidem de cætero regatur & vigeat studium Juris divini & humani, Canonici videlicet & Civilis. Unde volumus & statuimus, ut studentes in scholis ipsis, penes Sedem eandem talibus omnino privilegiis, libertatibus & immunitatibus gaudeant, quibus gaudent studentes in scholis, ubi generale regitur studium, ac recipiant integre proventus suos ecclesiasticos sicut illi. Clemens V. in Concilio Viennensi, quemadmodum habetur *Clement.* 1. *de Magistris*, decrevit, ut Romæ & ubicunque Romanam Curiam residere contingeret, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ linguæ Professores inveniantur. Eugenius IV. teste Platina (k) doctorum hominum mirificus cultor multas in Europa Academias instauravit, omniaque gymnasia literarum diligentissime fovit, maxime Romanum, ad quod omne genus literaturæ adhibuit. Hujus vestigiis insistens Nicolaus V. antiquum Romanæ linguæ bonarumque literarum decus Urbi restituit, ita ut Angelus Politianus vir adprime eruditus adfir-

(k) *In ejus vita.*

firmare non dubitarit: *Quid mirum, si nos Latini olim Græcorum literis eruditi nunc Græciam velut anum atque effætam vicissim suas doceamus literas?* Pari studio Leo X. magnis impensis, majoreque selectione celebres e diversis regionibus viros in Urbem accersivit, qui tum in profanis linguarum & politioris literaturæ disciplinis, tum in sacris juventutem informarent, eo maxime tempore, quo & crassa ignorantia in multis Europæ provinciis adhuc regnabat, & religio orthodoxa ob nascentes hæreses in grande discrimen adducebatur. Verum Leone extincto quemadmodum Romæ, ita & Academiæ infelicia successere tempora. Nam urbs sævissimum in modum direpta est, & rebus quam maxime turbatis siluerunt aliquamdiu scholæ, fueruntque reditus & salaria Professorum distracta ad usus publicos civitatis regnante Hadriano VI. & Clemente VII. Restituit tamen rem Paulus III. & collapsas scholas instauravit. In his duos insignes pietate ac doctrina Viros e Societate JEsu Lainium & Fabrum, D. Ignatii socios, stationem habere jussit. Nam ut Maffejus narrat in vita S. Ignatii *lib.* 2. *c.* 6. & ex eo Josephus Carafa in libro de Gymnasio Romano recens edito *p.* 203.
Igna-

Ignatius ſuam & ſuorum operam in ſacris miniſteriis obtulit Pontifici, quam hic in publicis ſcholis adhibuit. *Neque*, ait Maffejus, *aſpernatus eſt pia Patrum ſtudia Chriſti Vicarius, atque in præſentia, donec ejusmodi aliqua ſe ſe offerret occaſio juſſi Faber & Laynez in Almo ſapientiæ Gymnaſio ſacras Literas profiteri. quo munere dum alter in Bibliis, alter in Scholaſtica Theologia, ut appellant, pari cum eruditione & pietatis laude perfunguntur, atque etiam ſæpe coram ipſo Pontifice de graviſſimis rerum divinarum quæſtionibus diſputant &c.* Poſt hæc ſub Gregorio XIII. hac artium & ſcientiarum univerſitate magis magisque creſcente duo inde nata fuerunt præcipua Gymnaſia, quorum unum *Sapientiæ* titulum retinuit, & Archigymnaſium dicitur, cujus magnificam fabricam jubente Eugenio IV. a Senatu Romano in Regione, ut vocant S. Euſtachii inchoatam, & ſub Pontificibus Alexandro VI. Julio II. Leone X. Paulo III. Gregorio XIII. Sixto V. & Urbano VIII. continuatam tandem perfecit Alexander VII. promeritus eam, quæ in externa Eccleſiæ Gymnaſii fronte conſpicitur, inſcriptionem:

ALE-

ALEXANDRO. VII. P. M.
OB ÆDEM. SAPIENTIÆ.
TOTO. AMBITU. PERFECTAM.
ET BIBLIOTHECA. HORTOQUE.
MEDICO. INSTRUCTAM.
SACRI. CONSISTORII. ADVOCATI.
POS. M. DC. LX.

Præterea idem Alexander adeo amplis hoc Archigymnasium proventibus dotavit, ut omnium artium Professores in eo copiose ali possint, omneque disciplinarum & linguarum genus Viri sapientissimi publice profiteantur, atque honorum gradus tam in S. Theologia, quam in utroque Jure ac Medicina ibidem conferantur. Alterum est Gymnasium, quod Gregorius XIII. de quo dixi, erexit, & pleno jure gubernandum concessit Societati JEsu, in quo & humaniores literæ, & severiores scientiæ Matheseos, Philosophiæ, Ethicæ, Polemicæ, SS. Canonum, Theologiæ Positivæ, Moralis & Scholasticæ præter linguam Græcam & Hebraicm ac Liturgiæ studium affluenti ex Urbe & vicinia copiosissimæ nobilique inventuti traduntur. Pene fidem excedit Pontificis hujus Gregorii XIII. in literas & literatos munificentia. Nam probe cognoscens, quantum præsidii ad Catholicam Religionem

nem inter tot hæresum insultus intactam servandam in literarum studio & recta juventutis educatione positum esset, plurima erexit Seminaria, tanquam totidem fidei orthodoxæ propugnacula, in quibus e quavis fere natione lectissimi juvenes certa lege, numero, & disciplina alerentur: Et quidem in ipsa Urbe Seminarium quod vocant Romanum, ubi simul flos Nobilitatis educatur: Alterum Collegium Germanico-Hungaricum, e quo tot Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Episcopi, Archiepiscopi, etiam Eminentissimi Cardinales nationis Germanicæ & Hungaricæ prodierunt: bina Anglis e patria religionis caussa exulibus, alia insuper Græcis, Maronitis, Illyricis. Præter hæc ejusdem Pontificis opera fuerunt excitata Seminaria Viennense in Austria, Pragense in Bohemia, Græcense in Styria, Olomucense in Moravia, Bransbergense in Prussia, Mussipontanum in Lotharingia, Vilnense in Lithuania, Claudiopolitanum in Transylvania, Fuldense in Germania, Dilinganum in Suevia &c. in quibus Alumni quos vocant Pontificii sumtibus Apostolicæ sedis sustentantur, & in sacræ doctrinæ studio potissimum exercentur, adversus prava hæresum dogmata cum tempore in aciem progressuri.

At-

Atque hæc Seminaria & Collegia tum Romæ tum aliis in regionibus Societatis JEſu curæ informationique commiſit Gregorius Pontifex immortali laude dignus. De his diſciplinarum domiciliis diſſerens Stephanus Tuccius ita hæreticos magna cum gravitate ac libertate adloquitur: *Unus vos lacerat o nocturni prædones, unus vos cruciat. Gregorius, & excitatis per Germaniam, Galliam, Sarmatiam, Pannoniam juvenum ſeminariis tanquam aggeribus fidei vias veſtris ſatellitibus intercludit, veſtris vos implicat retibus, & intra fines ac parietes veſtros veſtris vos liberis, veſtris alumnis impugnat: Neque unum ille aut alterum vobis oppoſuit propugnaculum, ſed ſuum ſingulis pene gentibus exſtruxit: Prutenis & Suevis Bransbergenſe, Vilnenſe Lithuanis, Boemis Pragènſe, Moravis Olmuccenſe, Auſtriacis Viennenſe, Græcenſe Styriacis, Dilinganum Germanis, Fuldenſe Saxonibus, Niſſipontanum Scotis & Hibernis, Helvetis Mediolanenſe, Britannis Bohemenſe, Claudiopolitanum Tranſylvanis &c.*

XIII.

Poſt Romanam & antiquitate & ſplendore ac fama ſe ipſam ſatis commendat

Parifienfis Academia. Initium fcholæ hujus referunt fcriptores magis probati ad Caroli M. tempora circa annum 790. Tunc enim e Scotia in Galliam delati funt Claudius, Joannes Rabanus, & Alcuinus feu Albuinus, omnes tres olim V. Bedæ difcipuli, qui fe nullas alias merces præter bonas artes & Sapientiæ ftudium e patria fua exportaffe, hasque venales absque lucro exponere fe velle palam profitebantur. Quæ voces ubi ad Caroli aures pervenere, Principis ad literas inftaurandas fuapte indole proniffimi, ad ejus alloquium vocati id ipfum inftituti fui effe affeverarunt, polliciti fimul, gratis fe doctrinam fuam expofituros effe, dummodo locus & alimenta fuppeditarentur; qua honeftiffima conditione accepta cognitaque illorum eruditione mirum in modum delectatus Carolus, eorumque expectationem munificentia fua multum fupergreffus, Magiftros hosce penes fe retinuit, ac publicæ Parifienfis fcholæ fundamentis jaciendis adhibuit, maxime Alcuinum, quo præceptore ipfe Carolus ufus eft, & hortatore ad grande opus iftud moliendum. Quumque feliciffimos ftudiorum progreffus & difcipulorum frequentia, & Doctorum in omni fcientiarum genere præftantium induftria fuismet

met oculis intueretur, ſcholam hanc ad exemplar Romanæ, quin etiam Athenienſis, in Academiæ dignitatem evexit, tantaque non ſolum privilegiorum, ſed etiam proventuum & poſſeſſionum amplitudine locupletavit, quantum vix omnes Galliæ & Germaniæ, quæ poſtmodum inde natæ ſunt, æquare potuerunt, uti teſtatur Curio (l). Quare ingens concurſus ad eam factus eſt, ita ut veterum Athenienſium, & recentium Romanorum gloriam ſuperatura videretur. Non modicam tamen cladem paſſa eſt turbis Academicos inter & cives Pariſinos exortis, utrisque ut fieri ſolet, jura ſua violata conqueſtis. Quare factum eſt, ut plurimi eorum, qui aliunde acceſſerant, nuncio Pariſiis dato domum reverſi, aut ad exteras Academias dilapſi ſint. Verum S. Ludovicus IX. Rex Galliarum, (ad cujus tempora Fleurius Academiæ hujus ortum refert) ratus egregiam fore tunc demum rempublicam, in qua politicum regimen & belli & pacis tempore cum humanarum divinarumque rerum cognitione ac doctrina arcto inter ſe fœdere necteretur, variis Edictis publicis cives ad officium, debitamque Doctoribus venerationem, ac ſtudioſis gratifi-

(l) *L. 2. Chronolog.*

tificandi ſtudium revocavit. Regnante hoc ipſo S. Ludovico famoſa illa Sorbona ſurrexit, id eſt, Collegium Theologicum, quo præ cæteris conſpicuam ſemper ſe reddidit Univerſitas Pariſienſis. Principio quidem, ut magnis fluminibus accidere ſolet, quorum plerumque exiguus fons eſt, pro pauperibus aliquot artium Magiſtris, qui Theologiæ ſtudio ea in Academia operam dabant, a Roberto de Sorbona Canonico Pariſienſi erectum fuit; qui dum Collegii ſui primum lapidem poſuit, æreæ laminæ hæc verba inſcribi juſſit: *Ludovicus Rex Francorum, ſub quo fundata fuit Domus Sorbona circa an. Dom. M. CC. LII.* Poſtmodum auctis per hunc ipſum quem dixi S. Ludovicum aliosque Mæcenates rebus & emolumentis in Collegium Baccalaureorum & Doctorum Theologicorum excrevit. Horum duplex claſſis eſt: Aliqui ſunt Doctores Sorbonici, qui Collegium illud inhabitant: alii ſocii Sorbonæ, qui poſt data doctrinæ inſignis ſpecimina adgregantur. Amplificavit illud præterito ſeculo magnopere Card. de Richelieu tum ſplendida Eccleſia, tum magnifica adjecta fabrica, quæ triginta & amplius Doctoribus ſatis commodum habitandi ſpatium præbet. Ipſa vero Academia Pariſienſis Regum ſuo-

ſuorum favore ſingulis fere ſeculis illuſtrior evaſit. Ludovicus IX. & Carolus VI. plurimis eam privilegiis ad ſtudioſos illuc adtrahendos donarunt: Franciſcus Valeſius doctiſſimos Hebraicarum & Græcarum literarum, atque artium Mathematicarum Profeſſores conſtituit: Henricus ejusdem filius inſigni bibliotheca eam locupletiorem reddidit: Sub Carolo IX. Franciſcus Balduinus, magnum inter Jurisconſultos Germaniæ nomen, ad illam Academiam evocatus fuit, ut Jurisprudentiæ ſcholam excitaret regeretque, quemadmodum ipſemet teſtatur (m): Etiam Romani Pontifices ſingulari Academiam Pariſinam æſtimatione ac favore complexi ſunt, præſertim Innocentius, multisque ornarunt privilegiis Eccleſiaſticis: Sorbonam autem in rebus graviſſimis conſulere ejusque judicium exquirere non dubitarunt maximi Principes tum Eccleſiaſtici tum Seculares. Nec defuere Viri celebratiſſimi, qui ex hujus Academiæ gremio prodierunt: Alcuinus, Rabanus, Petrus Lombardus, B. Albertus M. S. Thomas Aquinas, Joannes Gualenſis, qui ob eruditionem & facundiam *Arbor vitæ* nuncupabatur, Joannes Budæus, Phi-

(m) *Ad L. ſi pacto. Cod. de Pact.*

Philippus Gammachæus, Nicolaus Isambertus, Andreas Duvallius, Honoratus Tournelius &c. Universam Academiæ hujus historiam Tomis sex complexus est Cæsar Egassius Bulæus.

XIV.

Ad Romanæ ac Parisiensis formam Fridericus II. Romanorum Imperator, ut non solum armis, sed etiam artibus & scientiis Imperium fulciret, & in utroque genere Cæsarem se monstraret, circa annum 1237. Vindobonensem, seu Viennensem Academiam & eruditionis fama & loci majestate summe conspicuam condidit, quam postmodum Austriæ Archiduces Rudolphus IV. Albertus III. & Leopoldus II. Fratres miro animorum consensu dignaque tantis Principibus liberalitate maximis & proventibus & privilegiis locupletarunt. Inter eos eminuit Albertus. Hic amplissimam domum, quod Archiducale Collegium vocabatur, duodecim artium & Philosophiæ Professoribus habitandam tribuit: impetravit etiam ab Urbano VI. ut Theologiam publice heic profiteri & ejus doctrinæ gradus atque insignia conferre liceret: addidit Jurisconsultorum scholam, & perpetuo edicto sanxit, ut SENATUS POPULUSQUE VIEN-

VIENNENSIS singulis annis, dum novum Consulem eligerent, admoneretur, ne vel ipsi quidquam facerent, vel fieri permitterent, unde Academia detrimentum caperet, sed potius pro sua virili studiosorum privilegia tuerentur atque defenderent. Quod edictum suo adhuc, quo scripsit tempore, id est, circa annum 1582. viguisse testatus est Middendorpius (n). Ut vero undique confluens studiosa juventus commodius atque minoribus sumtibus literis vacaret, a variis Mæcenatibus multa stipendia constituta, multæ domus conductæ, ac habitationes erectæ fuerunt pro quavis fere natione: amplum non minus ædificium est constructum, quod peregre venientibus & ægrotantibus studiosis serviret. At collapsum post tempus aliquod Jurisprudentiæ studium Maximilianus I. Imp. denuo instauravit evocatis ex Italia Clarissimis Triumviris Joanne Sylvio, Aurelio Siculo, & Hieronymo Balbo: præterea potestatem Academiæ concessit Poetas excellentes solenniter inaugurandi ac coronandi. Multum damni passa est Academia hæc anno 1529. quando Vienna totius Christiani orbis propugnaculum a Turcis gra-

(n) *In Tract. de Academ.*

graviſſima obſidione premebatur. Verum hac ſoluta damnum cum fœnore reſarcivit Ferdinandus I. ejusque filius Maximilianus II. Impp. conſtitutis quatuor Facultatibus, quaſi totidem Academiæ columnis, quarum ſingulæ laudatiſſimo more in alias inde Univerſitates introducto ſingulos poſt Deum patronos ſui quæque ſtudii elegerunt, Theologica quidem S. Joannem Evangeliſtam, Juridica D. Ivonem, Medica SS. Coſmam & Damianum, Philoſophica Oratoria & Poetica S. Catharinam. Harum Facultatum, totiusque Univerſitatis Caput eſt Rector, cujus ea dignitas velut indulgentibus majeſtatis ſuæ partem Imperatoribus, ut in omnibus quos vocant Actibus publicis alterum a Principe vel ejus Vicario locum obtineat, atque cunctis Academiæ membris ex æquo & bono jus dicat non ſolum in civilibus, ſed etiam, ubi de crimine agitur. Cautum olim hac in Academia fuerat, ne Rector eligeretur maritus; ſed lex hæc ſeu mos ſub Ferdinando I. abrogatus fuit, permiſſumque ut magiſtratu iſto fungi poſſet etiam qui uxorem haberet, ita tamen, ut per alium Clericum cœlibem in Eccleſiaſticas perſonas jurisdictionem exerceret. Ultimum & ſupremum huic Academiæ ſplendorem poſtremis

mis hisce temporibus adjecisse visa est feliciſſime regnans Auguſtiſſima Imperatrix & Regina MARIA THERESIA, cujus incredibili in literas & literatos ſtudio ac favori ea debet, quod veteribus inſtauratam, novis autem, quibus ſeculum hoc gaudet, artibus, Profeſſoribus, & cathedris auctam, omnique jam & doctrinæ & eruditionis genere circumquaque fulgentem in orbis literati theatro ſe ſe conſpiciat.

§. II.

Copia & præſtantia Academiarum, Gymnaſiorum, & Scholarum.

XV.

Propoſitis duabus ante, ac tribus poſt Chriſtum natum Academiis celeberrimis, tanquam aliarum ſequentium vel matribus vel exemplaribus, cæterarum in Europa potiſſimum ſitarum catalogum texo cum Chronologia emendatiore, quam quæ paſſim in libris reperitur, ut palam fiat, quas quamque nobiles ſedes quovis ſeculo artes & ſcientiæ occuparint: neque omnes omnino, ſed notiores duntaxat recenſere animus eſt, dum interea plures (ultra centum quidam numerant) earumque deſcriptiones ſparſim apud alios

Auctores inveniri poterunt, nominatim apud Benedictum Pereyram S. J. qui insignem de Academia seu Republica literaria Tomum scripsit: Mendo S. J. de Jure Academico: Jacobum Middendorpium de Academiis universi terrarum orbis: Cæsarem Bulæum de Academia Parisiensi &c.

Academia Romana, incerti temporis antiqua: ab Innocentio IV. Pont. Max. instaurata, & Generalis Studii juribus donata anno 1245.

Mediolanensis, quando inchoata sit, non constat: Commentator Bartoli J. C. (o) ait: „ Ex antiqua consuetudine Studium universale habet. Virgilius Maro bonis artibus heic operam dedisse creditur. Aurelius etiam noster Augustinus eloquentiæ Professor fuit, & Alipius ejus comes Jurisprudentiæ, ut l. 5. & 6. Confessionum fatetur. „

Seculo V.

Bononiensis fundata a Theodosio Juniore circa annum 420. instaurata an. 795. illustrata a Friderico II. Imp. circa annum 1220.

Seculo

(o) §. *hac autem tria Proam. ff.*

Seculo VI.

Toletana in Hiſpania, circa ann. 500. inſtaurata a Franc. Alvaro loci Archiepiſcopo anno 1499.

Seculo VII.

Cantabricenſis in Anglia anno 630. inchoata: perfecta ab Eduardo I. Rege anno 1302.

Seculo VIII.

Pariſina a Carolo M. an. 791. a Ludovico Sancto illuſtrior reddita anno 1232. Ejus præcipuum Collegium Sorbona anno 1252.

Papienſis ſeu *Ticinenſis* in Italia a Carolo M. an. 794. inſtaurata a Joan. Galeatio, & Barnaba Vice-Comitibus an. 1361.

Seculo IX.

Toloſana in Gallia an. 800. inſtaurata anno 1518.

Lugdunenſis in Gallia an. 830.

Oxonienſis in Anglia an. 872. inſtaurata ab Henrico I. Rege an. 1100.

Seculo XII.

Leodienſis in Germania an. 1129.

Montispeſſulana ſeu *Montpellienſis* in Gallia a Philippo II. Auguſto Rege an. 1196.

Secu-

Seculo XIII.

Salernitana in Italia a Friderico II. Imp. circa annum 1220.

Patavina in Italia a Friderico II. Imp. circa annum 1222.

Viennensis Auſtriæ a Friderico II. Imp. anno 1237.

Salmanticensis in Hiſpania a Ferdinando III. Rege an. 1239.

Neapolitana in Italia a Friderico II. Imp. an. 1239.

Ulyſſiponensis in Lusitania inſtituta a Dionyſio Rege an. 1290. fundata a Joanne III. anno 1550.

Seculo XIV.

Avenionensis in Gallia a Philippo Pulchro anno 1300.

Dublinensis in Hibernia a Joanne XXII. Pont. Max. an. 1320.

Piſana in Italia an. 1339.

Cracoviensis in Polonia a Caſimiro Rege anno 1344.

Heidelbergensis in Palatinatu a Ruperto I. Electore an. 1346.

Pragensis in Bohemia a Carolo IV. Imp. dicta Carolina anno 1348. Poſtea Ferdinandea a Ferdinando I. Imper. an. 1552. quæ

quæ duæ coaluerunt in unam ſub Ferdinando III. Imp.

Erfordienſis in Germania a Senatu Civitatis an. 1378.

Senenſis in Italia an. 1380.

Colonienſis ad Rhenum a Senatu Civitatis anno 1385.

Seculo XV.

Taurinenſis in Italia a Ludovico Duce anno 1400.

Herbipolenſis in Franconia a Joanne loci Epiſcopo an. 1403.

Lipſienſis in Germania a Friderico I. Electore Saxoniæ an. 1409.

Hafnienſis in Dania ab Erico IX. Rege anno 1418.

Lovanienſis in Germania a Joanne IV. Duce Brabantiæ an. 1425.

Mantuana in Italia a Joanne Franciſco Gonzaga March. I. an. 1432.

Florentina in Italia a Cosma Mediceo anno 1438.

Glasquenſis in Scotia a Turnballo loci Epiſcopo an. 1454.

Friburgenſis in Brisgoia ab Alberto VI. Archiduce Auſtriæ an. 1456.

Baſileenſis in Germania a Pio II. Pont. Max. an. 1459.

Ingol-

Ingolstadiensis in Bavaria a Ludovico Divite Duce Bavar. an. 1472.

Trevirensis in Germania a Senatu Civitatis an. 1472.

Tubingensis in Suevia ab Eberhardo Duce Würtenbergico an. 1472.

Uspalensis in Suecia a Sixto IV. Pont. Max. an. 1477.

Moguntina in Germania a Diethero loci Archiepiscopo an. 1477.

Budensis in Hungaria a Matthia Corvino Rege Hung. circa annum 1480.

Seculo XVI.

Wittenbergensis in Germania a Friderico III. Elect. Saxon. an. 1502.

Francofordiensis ad Viadram a Joachimo Elect. Brandeburg. an. 1506.

Complutensis in Hispania, vulgo *Alcala*, a Franc. Ximenio Card. an. 1509.

Granatensis in Hispania a Ferdinando Talabricensi an. 1518.

Argentoratensis in Germania a Senatu Civitatis an. 1538.

Regiomontana in Borussia ab Alberto III. Duce Boruss. an. 1544.

Jenensis in Germania a Joanne Friderico Elect. Saxon. an. 1548.

Gau-

Gandiensis in Hispania a S. Francisco Borgia Duce Gandiæ, postea III. Gener. S. J. an. 1548.

Dilingana in Suevia ab Ottone Truchsessio Card. & Episc. Augustano an. 1549.

Goana in Indiis a Joanne III. Rege Lusitaniæ circa annum 1550. *

S. Dominici in novo orbe a Philippo II. Rege Hispaniæ an. 1558.

Eboracensis in Lusitania ab Henrico S. R. E. Card. postea Rege Lusitan. an. 1558.

Duacensis in Belgio a Philippo II. Hisp. Rege an. 1562.

Cassoviensis in Hungaria an. 1565.

Olomucensis in Germania a Guilielmo Prusmansky loci Episcopo an. 1566.

Claudiopolitana in Transylvania a Stephano Battorio Rege Polon.

Mussipontana in Lotharingia a Gregorio XIII. Pont. Max. an. 1572.

Lugdunensis in Belgio a Guilielmo Principe Arausionensi an. 1575.

Altorfina in Germania a Senatu Norimbergensi an. 1576.

Helmstadiensis in Ducatu Brunsuicensi a Julio Duce an. 1576.

Vilnensis in Polonia a Stephano Battorio an. 1576.

Græcensis in Styria a Carolo Archiduce Austriæ an. 1586.

Qui-

Quitoana in novo orbe a Philippo II. Hiſp. Rege an. 1586.

Seculo XVII.

Giſſena in Haſſia an 1607.

Limana in America a Philippo III. Rege Hiſpan. an. 1614.

Molsbemienſis in Germania a Leopoldo Archiduce Auſtriæ an. 1618.

Salisburgenſis in Germania a Paride Lodronio Archiepiſcopo Salisb. an. 1623.

Gratimalcenſis in America, fundata a Philippo IV. Rege Hiſpan. an. 1628.

Madritana in Hiſpania an. 1629.

Tyrnavienſis in Hungaria an 1635.

Bambergenſis in Germania a Melchiore Ottone loci Epiſc. an. 1648.

Lundinenſis Carolina in Suecia a Carolo XI. Rege an. 1668.

Hallenſis in Germania a Friderico III. Elect. Brandeb. an. 1694.

Oenipontana in Tyroli a Leopoldo I. Imp. an. 1673.

Seculo XVIII.

Uratislavienſis in Sileſia a Leopoldo I. Imp. an. 1702.

Petropolitana in Carelia a Petro I. Mon. Moſcov. circa annum 1710.

Ful-

Fuldensis in Germania ab Adolpho Principe Fuld. an. 1734.

Göttingensis in Germania a Georgio II. Electore Hannov. an. 1737.

Leopolitana seu *Lemburgensis* in Polonia, concedente Augusto Rege Polon. & confirmante Clemente XIII. Pontif. Max. anno 1759.

* Goana Academia & amplissimum Collegium, quod ibidem construxit Patribus Societatis JEsu Joannes Tertius Lusitaniæ Rex, singularem mentionem meretur, utpote in quo quamplurimi Adolescentes diversissimarum nationum Indicarum instituuntur in omni genere disciplinarum, & inde ex hac schola in omnes Orientis provincias domum quisque suam mittitur, ut adeo totius in Indiis Christianæ Religionis & Reipublicæ Seminarium sit.

XVI.

Vidimus modo satis longam Academiarum seu domiciliorum, quæ artes & scientiæ habitanda sibi elegerunt, seriem. Nunc pauca de istarum auctoritate ac præstantia differere opportunum erit. Academiæ fere omnes e scholis, quas primo docti aliqui expertique homines privata voluntate instituere cœperunt, originem suam traxere. At splen-

didiorem poſtmodum faciem induerunt, poſtquam iis vel inſtituendis vel confirmandis publica acceſſit auctoritas. Jam olim Sophocles Athenis legem tulit teſte Laertio, ut neque ſcholæ erigerentur, neque Philoſophorum quisquam præeſſet, niſi magiſtratus id decreviſſet, ne ſcilicet lucri cauſſa, ut fit, artium & ſcientiarum Magiſtri minus periti, in munus hoc reipublicæ cæteroqui utiliſſimum ſe ſe intruderent. Quod exemplum imitatus Cæſar Auguſtus etiam Romæ, ut major Juris dicundi auctoritas foret, ſolemni decreto ſanxit, ut nemo de Jure reſponderet (quod Jurisconſultorum proprium erat officium) *niſi Principis auctoritas accederet* (p), verba legis ſunt: *Ut major juris auctoritas haberetur, conſtituit, ut ex auctoritate ejus reſponderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit.* Ulterius progreſſa eſt Imperatorum hac in re providentia, ita ut nonniſi in majoribus magisque celebribus civitatibus divinas humanasque leges docere permiſerint, dicente Juſtiniano (q): *Hæc autem tria volumina a nobis compoſita tradi eis tam in regiis urbibus, quam in Beritienſium*

(p) *L. Pomponius* 2. §. *Primus Divus Auguſtus ff. de origine juris.*

(q) §. *hac autem tria Proœm. ff.*

ſium pulcherima civitate, quam legum nutricem bene quis appellet, tantummodo volumus, quod jam & a retro Principibus conſtitutum eſt, & non in aliis locis, quæ a majoribus tale non meruerunt privilegium. Ita etiam Romæ ſolum & Conſtantinopoli olim divini humanique juris prudentia tradebatur teſte Azone Jurisconſulto (r). Metuebant enim glorioſiſſimi Imperatores, uti Bartolus animadvertit, ne ſacroſanctæ leges, quæ cœlum ipſum terramque tuentur, in obſcurioribus locis ob doctorum virorum penuriam turpis lucri gratia ab imperitis corrumperentur. Ad alias poſtmodum ſcientias tradendas, ſcholasque moderandas ſe ſe extendit hæc Principum & Magiſtratuum auctoritas atque poteſtas, ita ut ſine hac nullam deinceps profiteri publice licuerit. Qua ratione factum eſt, ut Academiæ etiam *Univerſitates* adpellari cœperint, utpote in quibus accedente ſummi Principis voluntate vel adprobatione Profesſoribus & Studioſis literarum collegium & univerſitatem quandam habere conceſſum fuit, quod alias in Jure prohibitum erat. Quapropter Academiæ Univerſitates vocantur non tam eo ex capite, uti qui-

(r) *In L. unicam C. de Studiis lib. Urb. Roman. & Conſtantinop. l. 11.*

quidam exiſtimarunt, quod univerſæ artes liberales ac ſcientiæ in illis doceantur, (multæ enim ad certarum duntaxat ſublimiorum diſciplinarum profeſſionem eriguntur) quam quod rem univerſam ſeu communem faciant ſub uno capite ſeu Rectore, Magiſtratu ſive Senatu, Decanis Facultatum, Cancellario, Judice, quem privilegiorum & jurium Conſervatorem ſeu Gubernatorem vocant, coram quo Studioſi cauſas dicere debent: item Notario, & Tabellario ſeu Bedello, cujus officium inter alia eſt, ut Rectorem eosque, qui graduum honoribus inſigniuntur, cum ſceptro Argenteo præcedat.

Quemadmodum autem in omni Republica, ita etiam in Literaria honorum Gradus aliqui fuerunt inſtituti, quibus nihil eſt ad æmulationem excitandam, & inſignem profectum faciendum accommodatius. *Opinamur, O Anacharſi*, ajebat Solon (s), *opinamur deſiderium in juvenibus magis accendi, ſi eos, qui optime ſe ſe geſſerunt, honorari conſpexerint, & in medio Græcorum præconis voce magnifice proclamari; & non pauci ex ſpectatoribus virtutum ac laborum amore inflammantur: itaque ſi quis ex communi hominum vita laudis & gloriæ amorem ejice-*

(s) *Apud Lucianum.*

ejiceret, quidnam amplius præclaræ rei ille nobis faceret reliquum? Non minus Juvenalis (t) veriſſime cecinit:

Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas?

Quare etiam Romani ad juventutem, ut in bello *fortia agere & pati* diſceret, incitandam diverſi generis coronas, quibus victores ornarent, excogitarunt: *Triumphalem ex Lauro*, quæ Imperatoribus poſt victoriam ad Urbem redeuntibus ut triumphum agerent, mittebatur: *Obſidionalem ex gramine* ſervatæ civitatis, quam liberati ab obſidione offerebant ſervatori ſuo: *Civicam e quercu*, quæ obtigit illi, qui patriam & cives periculo belli civilis aut excidio ſubduxit. Erant aliæ quoque coronæ, ut *Muralis*, *Caſtrenſis*, *Navalis*, omnes tres ex auro, & *Ovalis* e myrto, decretæ illis, qui primi præ aliis in ejusmodi certaminibus fortitudinis ſuæ ſpecimen ſingulare dederunt. Quidni igitur uti Martis, ita & Palladis alumnis, qui in diverſis literarum Claſſibus & Facultatibus præ cæteris eminere videntur, Laureæ ac honorum gradus conferantur, quibus & illi laborum ſuorum fructus &

(t) *Satyr.* 10.

& præmia retulisse se sentiant, & alii ad præclara priorum vestigia premenda exstimulentur?

Quo autem tempore, & ubinam locorum Gradus isti, horumque ordo, nomina & privilegia, ac leges promovendorum in singulis Facultatibus, atque insignia fuerint introducta, satis certo non constat. Equidem S. Nazianzenus (u) testatur, quod Athenis & in Cæsareensi Academia Doctores Basilio M. *& honoris & professionis insignia conferre voluerint*: Sed admodum probabile est, Seculo primum XII. Academias in formam Reipublicæ redactas fuisse, datosque Universitatibus Rectores, Senatores, Decanos, Syndicos &c. ac tribus Disciplinis, videlicet Theologicæ, Juridicæ, ac Medicæ honorum gradus conferendi jus publica auctoritate adtributum esse, quibus postmodum etiam Philosophica Facultas, quæ Artium dicitur, accessit. Sunt qui Bononiæ Gratianum, sunt alii, qui Parisiis Petrum Lombardum morem hunc Doctoratus ac Licentiæ in eas Academias primos invexisse contendunt. Certe tum temporis qui Gratiani Decretum, aut Lombardi sententias vel didicissent, vel prælegissent, Docto-

(u) *In Menodia Basilii.*

Doctores adpellari cœperunt. Verum aucto in immensum numero certæ leges latæ fuerunt pro illis, qui promoveri cuperent; certum Studii tempus, lectionum publicarum auditio, accurata profectus disquisitio seu examen, certum doctrinæ ac morum testimonium &c. Primo quidem adimpletis hisce conditionibus conferri solet *Baccalaureatus* seu publica doctrinæ adprobatio, qua concessa ad ulteriores gradus adspirare licet, ita dictus a *Bacca* seu ramusculo & parte quadam Laureæ illius, quæ integra solis Doctoribus convenit. Sequitur gradus *Licentiæ*, qua copia fit ad ipsum Magisterii seu *Doctoratus* gradum capessendum; quem denique tertium & supremum gradum cum magna solemnitate, in consessu doctissimorum Virorum, cumque insignibus annuli, torquis aureæ, epomidis, purpuræ, ac nobilitatis titulo impertiri Candidato solet is, qui Facultatis cujusvis decreto ad id muneris constituitur. Fuerunt autem hi, ad quos bene meriti, & in literaria palæstra multum exercitati promoventur, honorum gradus in ipso Viennensi Concilio sub Clemente V. adprobati ac commendati, legesque circa sumtus faciendos præscriptæ, ne quis ob inopiam a re tam utili

abstinere cogeretur, uti legitur (x) *in Clement.* Præter hæc ad majorem in literarum studio & capessendis gradibus fervorem excitandum multa etiam Ecclesiastica Beneficia, & Dignitates fuerunt instituta, ad quæ nonnisi solemniter in schola promotis patet accessus. Quapropter audiendi nequaquam sunt Martinus Lutherus, aliique hujus sectæ (utinam non forent etiam aliqui e male feriatis Catholicis) Academiarum & honorum Academicorum mastiges, qui grandi supercilio hæc sapientiæ ornamenta despiciunt, plenisque buccis in ea debacchantur. Audiant potius hi & illi præclarum Joannis Oldendorpii testimonium (y): „ Non possum „ me hoc loco continere, quin expostu-„ lem cum Criticis quibusdam, qui tam „ sunt amentes, ut utilem illum longe-„ que pulcherrimum in omnibus Acade-„ miis receptum ordinem titulosque aut „ contemnere aut etiam improbare non „ erubescunt. Quid inquiunt est Doctoris „ titulus, quid Licentiati, quid Bacca-„ laurei, nisi pecuniarum nundinationes ? „ & reliqua id genus ineptiarum multa „ effutiunt. Verum legant insulsi homi-„ nes, quid scribant eruditi omnium se-„ culo-

(x) *Clement.* 2. *de Magistr.*
(y) *In Comment. ad leges Tabul.*

„ culorum in bonis artibus antefignani : „ quomodo præparandi fint per ordinem „ ftudiofi ab incunabulis literarum ad gra„ viores difciplinas, in quas ne tanquam „ fus in rofas irruerent, quam diligenter „ fint a præceptoribus vires ingenii per„ pendendæ: & quam tale in bonis arti„ bus judicium nullo poffit fieri modo, „ nifi in claffes dividantur ftudia, & „ fingulis claffibus tituli affignentur, qui„ bus alii ab aliis in fcholaftica ratione „ difcernantur; quales funt a lauri bacca „ Baccalaureatus, Magifterii, Licentiatus, „ & Doctoratus. Hæc inquam perpen„ dant, fi voluerint, iniqui Cenfores, „ & facile videbunt errorem fuum vel „ confcientia dictante &c. „ Ita fcriptor hic, magni nominis Jurisconfultus, qui neutri parti merito fufpectus effe poterit. Aliud teftimonium non minus grave, quam jucundum auditu nobis exhibet Nicolaus Trigautius S. J. in hiftoria Sinarum (z), quo patet, quales literis & literatis honores exhibeat gens illa acri judicio in rebus politicis prædita, fimul etiam, quam miro confenfu, licet adeo remota, hoc in negotio jam ab antiquiffimis temporibus cum Europæis convenerit. Memorat igitur Scriptor ifte, nullas qui-

(z) *Lib.* 1.

quidem ſcholas publicas aut Academias in hoc regno, attamen in urbibus celebrioribus eſſe ludos ſive ingentia palatia ſumtu publico exſtructa. Hos ludos quidam ab Imperatore deſignatus, & ea qualem apud nos Cancellarii Academiarum habent, poteſtate inſtructus quot annis viſitat, & feria 9. 12. ac 15. Lunæ octavæ examen illorum inſtituit, qui privatim a Magiſtris informati ad gradum aſpirant. Sunt autem tres literatorum gradus: primus dicitur *Sicucai*, & noſtro Baccalaureatui reſpondet, nec niſi prævio examine triplici confertur, quique illum adepti ſunt, multis immunitatibus gaudent. Alter *Kiugin* cum Licentiatu convenit, & nonniſi ſelectis ex toto Baccalaureorum Provinciæ alicujus numero honorifice tribuitur. Tertius *Cin* vocatur, & Doctoratum repræſentat. Qui hunc conſequuntur, etiam habitu diſtinguuntur, & ſummo honore coluntur ab omnibus. Diſcamus ergo ab exteris, quos barbaros credimus, æſtimare, quod tam ſalubriter, ut ita dicam, in patria noſtra inventum deſpicimus.

XVII.

Poſtquam de Academiis longior ſermo fuit, pauca quoque de Gymnaſiis & ſcholis,

lis, in quibus amæniores literæ ſub finem peregrinationis ſuæ quietam ac ſtabilem ſedem occuparunt, dicenda reſtant. Gymnaſium, græce γυμνάσιον, locus eſt, in quo fit aliquid exercitationis ἀπὸ τῦ γυμνάζειν, ſcilicet ab exercendo. Antiquis loca illa, in quibus palæſtritæ exercebantur, peculiari nomine Gymnaſia fuerunt nuncupata. Unde Plautus (a) *omnes plateas perreptavi, gymnaſia, myropolia &c.* Verum poſtea per inſignem metaphoram Gymnaſii nomen ad ludos literarios, omniaque loca, in quibus fit aliquod eruditæ exercitationis genus, translatum fuit, quando ſcilicet Philoſophi gymnaſia tenuerunt, atque in illis diſputarunt. Hunc in ſenſum Tullius loquitur (b): *Clamabunt credo omnia gymnaſia, atque omnes Philoſophorum ſcholæ.* Succedente tempore Rhetores ſibi gymnaſia vendicarunt tanquam propria, ſuisque ſcholis venerabile nomen impoſuerunt, *progymnasmata* vocantes exercitationes illas in dicendo, quæ antequam ad veras cauſas deſcenderetur, inſtitui ſolebant. Denique bonis artibus & ſcientiis ab exilio redeuntibus Academiæ nomen ſeverioribus diſciplinis relictum fuit, amœniores vero literæ Gymnaſii titulo contentæ vivere cœperunt;

(a) *In Amph.* (b) *Lib. de Orat.*

runt; licet multis in locis Rhetorica & Poesis, tanquam artes liberales majorum gentium, Academiis veluti pars corpori adhæreant, vel certe antiquum aliquod cum ea fœdus retineant. Gymnasia vero, ut nunc sunt, in varias classes & scholas distribuuntur, in scholas quidem Rhetorices & Poeseos, in classes autem Supremæ, Mediæ, ac Infimæ Grammaticæ. Schola literarius ludus est a græco verbo *σχολάζω*, quod est *vaco*, quia cæteris rebus omissis vacare liberalibus studiis juventus debet. Alii derivant scholæ nomen a vacatione, quam tanquam honestum animi laxamentum pueris interdum esse dandum canit Ausonius.

Grajo schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.

Utraque hæc adpellatio apud Grammaticos controversa in concordiam vocari potest, dicendo scholam Græcis & a vacando literis, & a vacatione a literis nuncupatam fuisse, quoniam utrumque hoc literarum studioso necessarium est, motus & quies, certis uterque limitibus circumscriptus. Olim in porticibus scholæ fuerunt juventuti apertæ teste Plinio: *Alexandrum* inquit *& Philippum cum Minerva,*

va, qui sunt in schola in Octaviæ porticibus, & Philippi. Jam vero harum, ubi humaniores literæ docentur, scholarum usum antiquitas, utilitas, & necessitas satis commendant: antiquitas quidem, dum jam apud Hebræos, Chaldæos, Ægyptios, Græcos & Romanos nihil antiquius fuerit, quam scholas ejusmodi erigere ac ludos aperire pro tenera ætate, in quibus tum primis artium & scientiarum rudimentis ad graviores postea disciplinas cum fructu addiscendas juventus imbueretur, tum moribus ad honestatem compositis veluti præpararetur Reipublicæ muniis cum dignitate ac emolumento obeundis: Utilitas vero, dum otio malorum omnium fonte obstructo prima statim ætas honestissime occupatur amœniorum musarum deliciis, ingenia puerorum absterfa nativa caligine expoliuntur seu ad scientiarum sublimiorum, si horum capaces inveniantur, seu ad mechanicarum artium professionem, quoniam & istæ cultura & mentis acie indigent: animi vero teneri christiana quadam ethica, & morum civilitate imbuuntur. Demum necessitas, quum nemo repente doctus fiat, sed per multos gradus eundo ad Sapientiæ templum aditus pateat. Non licet heic Rhodum saltu superare, nec nodum

dum gordium uno ictu solvere: & tempore, & discendi ordine, & ingenii ad maturitatem perducendi industria opus est. Verum de gymnasiis & scholis differendi commodior, ampliorque campus sequenti libro de Grammatica se se aperiet.

§. III.

Critice supra scholas publicas.

XVIII.

Quietas atque securas se stare sub umbra Academiarum & Gymnasiorum arbitrabantur bonæ artes ac scientiæ, quum ecce! fuerunt jam olim, & sunt vel maxime hisce temporibus nostris, qui jucundissimam hanc quietem conquisitis undique speciosis & cothurnatis argumentis turbare non dubitant. Fuerunt inquam jam olim, nimirum M. Fabii Quinctiliani tempore, id est, primo post Christum natum seculo, qui publicis scholis damnatis, vel saltem fama illorum imminuta, privatos intra parietes artium & scientiarum studia constringere adlaborarunt. Nunc autem nostro quod vivimus seculo quis est, quem lateat, quantæ quamque multiplices querelæ premant Academias & publicas scholas, & quot sint pædagogiarum fautores, qui juventutem, præsertim nobilem, pro-

cul

cul a literarum palæſtris ære publico erectis arcere totis viribus contendunt, vel ſtimulante quadam invidia, vel lucri cauſſa, vel ideis de recta ſtudiorum tractatione parum ſinceris in transverſum acti? Duo igitur præcipua hoc in negotio capita discutienda mihi ſumo, quæ ſane magni momenti eſſe videntur ad Reipublicæ literariæ tum exiſtimationem, tum utilitatem tuendam. Primum erit, an magis expediat privatim & domi ſub Magiſtro aliquo literis addiſcendis operam dare, an vero in Academiis & Gymnaſiis? Alterum num obſit potius bono literario, quam proſit ſcholarum multitudo. Ad primam quæſtionem quod adtinet, quamque Quinctilianus magna cum accuratione ac eloquentia pertractavit (c), quædam quæ in partem contrariam objiciuntur, profectum in literis, alia vero morum honeſtatem tangunt: utrumque ſi quid damni pateretur, grande profecto piaculum! Ajunt igitur longe majoris profectus ſpem imminere, ubi unum duntaxat diſcipulum informandum habeat Præceptor, cui omne tempus, omnem peritiam ſuam, omnem induſtriam, verbo, ſe totum indulgere poteſt, quando contra in ſcholis Magiſtri laborem & curam quan-

(c) *Lib. I. Inſtit. Rhetor. c. I.*

quantumvis magnam, in plures, & non raro plurimos divisam esse oportet, ita ut dum omnibus satisfacere cupit, nulli ex integro fiat satis. Porro nequit tanta esse attentio, tamque seria ad præfixum sibi studium adplicatio in scholis, ubi multos inter discipulos uno alterum sæpius interpellante vel omnino turbante prona est animi ad alia quævis distrahendi occasio, quæ domi discipulo sub vigili oculo Præceptoris ac Parentum quotidie constituto, sibique soli & rebus suis intento penitus sublata est. Præter hæc paucis illis horis, quibus juvenes in scholis detinentur, solum ea, quæ ad doctrinam, & quidem uno in genere, necessaria sunt, iis tradi possunt, dum privatos intra parietes discipulus & pædagogus semper præsto sint, ita ut vix ulla pretiosi temporis particula inanis elabatur, variaque ad multiplicem eruditionem spectantia præter certæ cujusdam disciplinæ studium colligi queant. Demum, quod gravissimum, periclitatur publicis in scholis, præsertim in Academiis, morum & vitæ honestas, præcipuus juventutis thesaurus. Quippe ubi magnus studiosorum numerus, & quasi campus stat apertus, plus semper zizaniæ quam boni frumenti est reperire. Sufficit una ovis scabiosa ad totum gregem inficiendum:

dum: quid si inter plures hujusmodi verseris? libertas, otium, mala societas sunt totidem sirenes, quæ in periculoso academiarum pelago plurimis jam exitio fuerunt, qui si domi sub oculis parentum & procul a pravis sociis operam studiis dedissent, Metello innocentiores honestatis ac ingenui pudoris naufragium nunquam fecissent.

Non ausim ego inficiari, esse quædam incommoda, quibus laborant Academiæ ac scholæ publicæ; fortassis autem non suo, sed eas frequentantium vel his præsidentium vitio, id tamen quod contendo, est, longe plura majoraque commoda in his reperiri, quam in privatis & domesticis pædagogiis, ita, ut nulla ratione in comparationem venire possint cum Athenæis, seu doctrinam seu mores spectemus. Primo quidem educatio publica juvenes mirum quantum excitat, reddit alacres, animos ipsis inspirat, & innocentem quandam audaciam suggerit, sive publice sit aliquid proponendum, sive privato etiam labore quidquam conficiendum occurrit; absque tristi languore illo ac frigore animi, quod suapte natura inspirare solet solitaria vita, atque intra parietes perpetuo conclusa, sub oculis forte morosi cujusdam Aristarchi, aut

plagosi Orbilii. *Ante omnia*, inquit Quinctilianus (d): *Futurus Orator, cui in maxima celebritate, & in media Reipublicæ luce vivendum est, assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria & velut umbratili vita pallescere. Excitanda mens & attollenda semper est, quæ in ejusmodi secretis aut languescit, & quemdam velut in opaco situm ducit: aut contra intumescit inani persuasione. Necesse est enim, sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat.*

Neque illud veritati consonum esse existimo, obesse in scholis publicis profectui multitudinem: immo vel maxime prodesse illam censeo. Quippe inprimis profectum capere potest juvenis tam ex iis, quæ sibi, quam ex illis, quæ a Magistro aliis dicuntur, ita ut non in se uno, sed veluti in omnibus præsens eodem tempore discat. Quotidie accidit, hujus errores reprehendi ac corrigi, illius recte dicta factaque adprobari: unius desidiam objurgari, alterius laudari diligentiam, sibique dicta putat, quæ tot aliis dicuntur in utramque partem. Ex hac ipsa re necessario nascitur pulchra æmulatio, & amor gloriæ, qui stimulus esse solet laboris: nimi-

(d) *Loc. cit.*

nimirum ſicut in ſilice per attritum mutuum excitantur igniculi & foras prorumpunt, ita inter honeſtorum juvenum certamina & literarias contentiones ſcintillæ ſe produnt, dum unus opprobrio ſibi ducit cedere æquali, alter etiam tribulem ſuum ſuperare conatur, quivis inter ſuos eminere, vel omnino primus ſuæ claſſis eſſe ac palmam præripere ſatagit. Quare pergit Quinctilianus: *Accendunt omnia* (loquitur de ſcholis publicis) *accendunt omnia animos, & licet ipſa vitium ſit ambitio, frequenter tamen cauſſa virtutum eſt.* Hæc omnia commoda, ſane maxima, ceſſant domeſticis in latebris, ubi diſcipulum terret difficultas, labor debilitat, nec ſtimulus adeſt, neque exempla, quibus ad majores paſſus faciendos excitetur; nec enim habet, cui comparare ſe poſſit, nec quem ſupergredi, ſed ſolus vel ſemper eſt primus, vel ſemper ultimus. Veniamus a diſcipulis ad Magiſtros & pædagogos. Fortaſſis majus emolumentum a privato, quam a publico ſperari poteſt? Ita quidem ſibi perſuadent nonnulli parentum, ipſi vero Præceptores ita jactitant, ſed perperam. Sit enim, quod hi unum duntaxat informando occupati totum illi tempus indulgere queant, ac in diverſo diſciplina-

rum genere eundem erudire. Quod fieri hoc poſſit, non diffiteor, ſed an fiat, & cum eo fructu, quo in ſcholis publicis id fit, vehementer dubito. Nam ad hoc munus non ſufficit, pædagogum eſſe hominem utcumque doctum, ſed inſuper in docendo bene ac diu verſatum: deinde ut ſepoſitis aliis negotiis & occupationibus impiger ſit in officio ſuo implendo. At ejusmodi homines ſunt *rari nantes in gurgite vaſto :* Non pauci ſunt, qui multam eruditionem jactant ad fucum parentibus faciendum, interea præter ſuperficiem parum vel nihil ſolidæ doctrinæ poſſident; unde *dare non poſſunt, quod non habent :* Alii ſibi ac rebus ſuis invigilant potius, quam diſcipulo curæ ſuæ commiſſo, nec libenter domi ad transtra ſedent: hinc eum præſcripto literario penſo ad pulpitum hærere cogunt, dum interea foris ipſi varia quærunt diverticula: alii non tam fructuoſæ informationis, quam pinguis ſalarii vel officii alicujus obtinendi ſpe in pædagogiam involant. Demum grande diſcrimen intercedit inter Magiſtrum, qui animo ad hoc munus publice obeundum præparato accedit, ac numeroſo auditorio præeſt, & inter præceptorem domeſticum mercede conſtitutum: prior enim ipſo numero diſci-

discipulorum animatur, famæ suæ potius quam lucri studiosus, magnaque virium contentione in promovendo juvenum profectu literario versatur, probe animadvertens, non exiguam boni publici spem in sua industria collocatam esse: posterior vero, qui velut singulos numerando passus cum discipulo suo unico progreditur, nemine spectante, nemine adplaudente, quo fervore, quove conatu, vel potius quanto cum languore, quamque humili voce officii sui partes exequetur? Dici non potest, quantum Magistri alacritas, & animi vigor, ac vocis contentio in explicando docendoque conferat ad discipulos attentos reddendos, ad suscitandam orexin, & sincerum bonarum artium gustum, ad nobiles animi sensus de omni literatura inspirandos.

Restat, ut & illud, quod maximi momenti est hoc in negotio, ad examen vocemus, scilicet num adeo magnis periculis obnoxia sit in Academiis & publicis scholis morum honestas, & recte vivendi ratio, quæ si domi securior foret, & extra teli jactum posita, *potior* ut ingenue fassus est Quinctilianus, *potior mihi ratio vivendi honeste, quam vel optime dicendi videretur.* Verum si rem probe consideremus, magna sane in scholis publicis

bene ordinatis ad virtutem una cum literis addiſcendam præſidia ſunt. Conſtituuntur Magiſtri ejusmodi ut plurimum, qui prius ipſi in virtutis & vitæ non ſolum chriſtianæ, ſed etiam religioſæ ſchola diu multumque exercitati fuerunt, quique munus hoc non lucri, aut vanæ gloriæ cauſſa, ſed altiore Dei gloriam & animarum ſalutem promovendi ſpiritu animati ſuſcipiunt, quæ potentiſſima eſt machina tum ad labores ſuſtinendos, tum ad fructum, qui per hos quæritur, obtinendum. Hi teneræ juventuti cum literarum lacte dei timorem, frequentem ſacrorum myſteriorum uſum, vitiorum præſertim incontinentiæ fugam, virtutum ac honeſtatis amorem, & dogmata veræ religionis in reliquam quoque vitam redundatura veluti tacite propinant atque inſtillant: accedunt adhortationes perpetuæ, ponuntur ante oculos proborum exempla, quæ muti quidem, ſed potentes ad perſuadendum oratores ſunt: Amandantur ac ejiciuntur diſcoli ac diſciplinæ impatientes, virtutis ſtudioſi honorantur ac præmiantur: præmunitur denique indoles juvenum ſolidis principiis adverſus pericula fidei & pietatis chriſtianæ in hoc mundo frequentiſſima. At hæc omnia domi quoque fieri poſſunt.

Poſ-

Possunt, sed rarissime fiunt. Patres sæpe negotia impediunt, quo minus filiorum bonæ educationi invigilent: matres excæcat prolis amor, pædagogi non raro mercenarii sunt, fors etiam ipsi corruptis moribus; vel non audent corrigere discipulorum errores metu parentum plus æquo indulgentium: imminent quoque pericula non pauca a domesticis, eorumque pravo consortio, ut verum sit, quod Propheta dixit: *Inimici hominis domestici ejus* (e). Ausim dicere, horum atque ipsorum parentum mala exempla sunt fons & origo corruptelæ morum in juvenibus, quæ postmodum mala fide nec sine injuria scholarum indoli adscribitur: neque tam meum hoc est, quam laudati sæpius Fabii, licet ethnici scriptoris, effatum. *Hæc* inquit *exempla vident singulis diebus, & attendunt ad res, quas deberent per totam vitam ignorare. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes non accipiunt e scholis mala ista, sed in scholas afferunt.* Idem esto judicium de Academiis, in quibus non generantur, ut ajunt, vitia, sed propagantur. Nimirum si e prima statim officina domesticæ educationis dissoluta & corrupta juven-

(e) *Michea* 7.

ventus transfertur in secundam inferiorum scholarum, & ex hac parum vel nihil emendata in tertiam officinam, seu Academias, ubi simul liberior aura spirat, quid mirum, si æs rude ac informis truncus mercurii loco prodeat? Sit igitur, ut concludam, inter præcipuas curas parentibus, ut eorum proles a teneris unguiculis probe casteque educatur, primis fidei & literarum elementis rite imbuatur; tum matura nonnihil ætate securi mittant ad scholas publicas, & si facultates permittant, fidum probumque ephorum iis addant, qui ad scholas ducat atque reducat, domique invigilet, ne ab iis quæ inibi didicerunt, deflectant. Spondere ausim, ita fore, ur bene moratos & literarum studiis probe imbutos ex Athenæis filios recipiant, cum suo solatio & reipublicæ emolumento. Quodsi etiam hæc omnia abessent, fortissimum pro scholis publicis frequentandis argumentum hoc unum sufficeret contra heteroclitas quorumdam ideas, nimirum quod eæ a summis Principibus & Legislatoribus omni ævo immensis sumtibus & curis erectæ fuerint; ac privilegiis maximis ornatæ, accedente universi orbis consuetudine, & scriptorum omnium, doctorumque hominum communissima adprobatione.

XIX.

XIX.

Alterum caput, quod examini subjiciendum heic occurrit; est ut dixi, an multitudo scholarum obsit potius, quam prosit bono publico. Video enim, esse aliquos, qui frequentiam gymnasiorum damnant, tanquam rei literariæ noxiam. Inter hos est Bartholomæus Grammondus, historiæ non illaudatæ Auctor. Multis hic argumentis id persuadere conatur. Quippe scholarum copia Academiarum splendor non parum minuitur, dum parentes filios nobilitate ac ingenio conspicuos illis subducunt, & inter ignobilis cujusdam scholæ parietes latere malunt, quam in publica luce Academica comparere. Ut nihil dicam tot ludis apertis portam quoque aperiri pueris ad stivam magis quam ad studia factis, a quibus non habet, quod cum tempore speret respublica, quam ut sint inutile pondus, & fruges consumere nati: *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam* (f). Profecto regnum literarium non est uti grex armentorum, ubi quo plus est taurorum, hoc major grex dicitur. Intrant Bœoti, & exeunt Arcades. Nimirum invitantur parentes vicinitate aut præsentia scholæ trivialis, & ad eam mittunt filios suos sine discrimine, quos nunquam ad Academiam mittere vel po-

(f) *Isai.* 9.

 tuis-

tuissent vel ausi fuissent. Rara in scholis his angustioribus æmulatio, vix ulla eminendi cupiditas, modicus docentium ardor, qui & ipsi sæpe doctores triviales sunt, & non multo discipulis doctiores. Hac autem ratione studia languescere necesse est, quum anima destituantur. Si ex ejusmodi literarum palæstris ineptos tanquam impedimenta & lixarum turbam ab exercitu removeas, paucissimi restabunt bellicosi, qui ad pugnam & victoriam aliquid conferre possint. Contra in Academiis, ubi magnus est concursus, semper quoque ingenia reperiuntur felici sidere nata, polita, magnarum rerum capacia; & ad majora excitantur mutuis congressibus, fervet ambitio quædam excellentiæ, constituuntur Professores & Magistri cum selectu, & quam optimi, famæ suæ simul & profectui discipulorum intenti; unde fit, ut qui e celebri Academia prodeunt, quandam sublimioris scientiæ ac existimationis velut characteristicam & prærogativam secum circumferant.

Verum salvo eorum, qui ita sentiunt, judicio, non ausim ego gymnasiorum frequentiam vilipendere aut omnino damnare. Non enim propterea Academiæ splendorem perdunt, vel earum vigor exugitur, quod plures amœniorum literarum scho-

ſcholæ hinc & inde ſtent erectæ, quam parum olim Romani Imperii robur & majeſtas fuit imminuta, eo quod ex Urbe velut centro Romani colonias circumcirca in diverſis regionibus conſtituerint: immo inter arcana præcipua politicæ gubernationis erat penes hanc gentem, bene multas quaquaverſum colonias ducere, quæ in ſocietatem quidem jurium & potentiæ venirent, nunquam tamen ejus majeſtatem ac ſupremam poteſtatem adæquarent. Hac enim ratione optimos quoque tum pacis tum belli tempore ex illis ſublatos, ſeu ad Rempublicam & Imperium armis defendendum, ſeu ad artibus & ſcientiis illuſtrius reddendum adhibuere. Sunt gymnaſia hæc velut Academiarum plantaria, e quibus ſemper florentes quidam ſurculi, poſtquam radices egere, in has transferuntur, frugiferæ demum arbores futuræ. Non omnibus parentibus eæ ſunt facultates, ut filios primis ſcientiarum elementis imbuendos ſtatim ad celebriores civitates & Academias quaſi manumittant; non raro etiam magis eſt conſultum, ut dum literis humanioribus vacant juvenes, in parentum conſpectu id fiat, qui ſi probi ſint, & profectum in ſtudiis, & morum honeſtatem efficacius præſentia

ſua

ſua urgere poſſunt, quam ſi longe a patria domo remoti in Academiis verſentur, ubi libertas noxia regnat, & cum numero etiam vitia augentur. Quod autem Grammondus, dum minorum gentium ſcholas eliminatum it, nec niſi magnificas omnes eſſe vult, quod inquam contendit, ut e templo Sapientiæ tenuioris fortunæ adoleſcentes arceantur, peſſimum eſt conſilium ac reipublicæ perquam noxium: Sane experientia docet, multos eorum ad inſignem omnigenæ literaturæ gradum pertigiſſe tum in ſacris tum profanis Curiis, cum maximo patriæ ac regnorum emolumento. Neque enim uti nobilitas, ita etiam ſapientia cum ſanguine hauritur, nec in re iſta ſemper partus ventrem ſequitur. Equidem verum eſt, quod natura in diſtribuendis ingenii donis ut plurimum generi hominum infimo novercam ſe exhibeat: nihilominus parſimoniam hanc non raro compenſari videmus in aliquibus magnitudine doni ac ubertate ſcientiæ.

Eſt & ſua Gymnaſticæ juventuti æmulatio, quam non tam multitudo, quam Magiſtrorum induſtria accendit: novimus in anguſtiis acrius ſæpe commiſſum eſſe prælium, quam aperto in campo, & intra fauces montium ab Alexandri milite

non

non admodum numeroſo ingentem Darii exercitum fuiſſe ſuperatum. Ubi non adeo magnus eſt numerus, ſæpius eundem athletam cum æmulis certandi ordo tangit, & frequentia velitationum juſtæ pugnæ magnitudinem æquat. Neque etiam in anguſtioribus Athenæis tanta eſt, quanta jactatur, inopia peritorum hominum, qui juventutem bene informent. Ut nihil dicam, multos e municipiis & obſcuris ludis magnam famam in orbem transmiſiſſe, illud contendo, quod experientia docet, plus emolumenti ac fructus in puerorum inſtitutione a Magiſtro referri, qui licet minus peritus, maxime tamen induſtrius eſt in munere ſibi commiſſo, quum non raro magna ingenia tenues hos labores, e quibus tamen rei ſumma pendet, faſtidiant, vel ſublimiore docendi methodo limites captus juvenilis transgrediantur, ita ut dum paucis proſunt, noceant plurimis, qui grandes Præceptorum paſſus adſequi vel non poſſunt, vel deſperant. Illud nihilominus facile conceſſerim, Gymnaſiorum & ſcholarum numerum reſtringi potius quam ampliari debere, ſi vel nimium exiguus grex ſit, vel in locis ſolitariis, ubi & ingenia & mores ſilveſcunt, vel quando vicinitate ſua unum alterius vigorem immi-

imminuit, quemadmodum in plantis & arboribus nimium propinquis ſolet contingere, vel demum ſi in unius duntaxat alteriusve nobilioris conditionis gratiam, aut cantus cauſſa, aliorumque in Eccleſia obſequiorum literarius ludus aperitur, in quem poſtea plures de rure mopſuli confluunt, & poſtquam tribus quatuorve annis tempus trivere, celebriora gymnaſia & Academias inſtar locuſtarum inundant ac fruges conſumunt, quibus alii, pauperes quidem, ſed magnæ ſpei ac profectus juvenes ſuſtentari & posſent & deberent.



CAPUT III.

VIA AD ARTES ET SCIENTIAS COMPARANDAS.

§. I.

Adjumenta ad illas.

XX.

Non agere heic animus eſt de adjumentis ſingularibus, nimirum illis, quæ diſciplinæ alicui propria ſunt & velut domeſtica, de quibus tractare commodius lice-

licebit, ubi sequentibus in libris de cujusvis natura, indole ac œconomia singillatim pluribus disseram; sed de generalibus & publicis adjumentis, quæ universe ad promovendas excolendasque artes & scientias pertinere videntur. Consistunt autem hæc tum in Artificibus, seu illis, qui studiosam juventutem informant, tum in Instrumentis seu libris, & quæ ex his componuntur, Bibliothecis. Ante omnia igitur de Magistris & Professoribus, quantum fieri potest, optimis prospicere necessum est, qui publicum de peritia & industria sua, deque morum probitate testimonium, non tam in folio quodam characteribus splendidis expressum, quam in doctrinæ ac prudentiæ fama, & actionum omnium honestissima compositione fundatum, & velut in fronte scriptum circumferant. Hi enim sunt scholarum regula & norma, ad quam studiosa inventus in utroque foro & literarum & morum conformare se solet ac debet. Hæc regula si mendosa sit, & a muneris sui gravissimi ratione deflectat, quid mirum, si discipulorum quoque grandes errores & hallucinationes post se trahat. Nam ut recte cecinit Lucretius:

In fabrica si falsa est regula prima,

Nor-

Normaque si fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,
Omnia mendose fieri atque obstipa necessum est.

Sunt nutrices, quarum quanto purius incorrumptumque lac fuerit, tanto infantum, qui eo aluntur valetudo magis atque robur firmatur: Ita omnino quo plus in doctrina & morum honestate solidiores fuerunt ipsi Magistri, eo firmiora in discipulorum animis relinquent scientiæ & probitatis altius demum surrectura vestigia. Quippe hi facillime imitantur & placita & mores, quos in Majoribus suis assidue conspiciunt, cujus rei exemplum satis luculentum habemus apud Platonem. Nam juvenis ab eo educatus ac eruditus, ubi postea paternos in lares rediit, & sublata voce excandescentem vidit Patrem, dixisse fertur: *Nunquam hæc apud Platonem Præceptorem meum vidi, nunquam didici.* Quantumcunque ferax ac pingue solum fuerit, si hortulani peritia vel industria desit, plus lolii quam florum ac fructuum progignet. Institutionis hujus vim in utramque partem expertus est Alexander M. Duos hic juventutis suæ mode-

moderatores nactus est, unum Lysimachum, natione Acarnanem, hominem parum literatum, sui potius quam discipuli studiosum, & sola adulandi arte clarum: qui se Phœnicem, Alexandrum Achillem, Philippum Patrem ac Regem Pelea dicere novit. Atque ita placuit Aulæ. Alterum vero Aristotelem Stagiritam, qui commissum sibi Regium Juvenem in humanioribus & severioribus literis, in rerum naturalium notitia simul & morali Philosophia summa cum diligentia parique fructu erudivit. In Lysimachi schola Alexander aliud nihil præter ingentem illum animi fastum, qui semper illi postmodum adhæserat, & superbiæ vitium didicit, ita ut demum non Philippi sed Jovis filium esse se jactarit, & credi voluerit: At in Aristotelis pædagogia egregiam illam indolem tot aliis regiis dotibus fulgentem hausit, & e parvo Magnus Alexander prodiit. Profecto vix invenire est Principem aut Virum honoratum, qui vel regendi arte, vel sapientiæ fama excelluit, ut non simul digito monstrari possit eximius quidam Magister aut Præceptor, sub cujus disciplina ad id fastigium pervenerit. Parmenides Melissi Samii, & Zenonis Eleatis; Zeno Leucippi: Leucippus Democriti: Democritus Pythagoræ Præceptor fuit. Socra-

tes Platonem, Xenophontem, Antisthenem, Aristippum & Euclidem erudivit: Platonis auditores fuere Speusippus, Xenocrates, Dion, Heraclides, & Aristoteles: omnes hos, quorum egregia dicta factaque narrat Laertius, Græcia in sapientum suorum numerum merito retulit, ac palam monstravit, quod *non generent imbelles aquilæ columbas.* E Romanis solum Ciceronem adducere juvat. Hic teste Plutarcho (g) primum Philoni operam dedit, quem Romani supra cæteros Clitomachi alumnos & ob dicendi facultatem admirati sunt, & dilexerunt ob morum suavitatem. Tum a Mutio Scævola, viro Senatus principe, Jurisprudentiam hausit. Inde Athenas navigavit, & Antiocho Ascalonitæ se commisit, ejus orationum volubilitate ac venustate captus, quamvis non omnino probaret. Demum in Asiam & Rhodum profectus est: in Asia Xenoclem Adramettinum, & Magnetem Dionysium, & Menippum Carem audivit, Rhodi vero Apollonium Oratorem, & Philosophum Possidonium. Tantis tamque insignibus opus erat Magistris ad unicum Oratorem excellentem ac Virum omni eruditionis genere illustrem formandum. Ut de magnis Principibus aliquid dicam, Apollodorus Pergamenus Augusti Præceptor erat, quem in lite-

(g) *In Cicerone.*

literis optime eruditum a libidine ac iracundia retraxit, ad quæ vitia principis juvenis prona indoles fuit. Arcadius & Honorius ab Arſenio, Carolus M. ab Alcuino, Otto III. Imp. & Robertus Rex Franciæ a Gilberto Floriacenſi Monacho, Carolus V. ab Hadriano VI. poſtmodum Pontifice, Leo X. ab Angelo Politiano & bonis artibus, & moribus tanto faſtigio dignis exculti fuerunt, qui omnes eruditionis laude ac vitæ probitate inclyti erant, ut merito dubites, an diſcipuli magiſtris, an vero magiſtri diſcipulis majores fuerint. Novimus etiam (ut capite præcedente demonſtravi) ingentem illam curam, qua Summi Principes & Sacri Antiſtites in Italia, Gallia, Germania &c. præſtantiſſimos quosque artium & ſcientiarum peritos exteris quoque e regionibus evocarint ad Academias ſuas Romanam, Pariſienſem, Viennenſem, Bononienſem &c. horum doctrina illuſtrandas, magnis ſumtibus, majoreque honoris ſignificatione.

XXI.

Et ſane plurimum confert ad bonum literarium promovendum magnorum Principum liberalitas in conſtituendis ſalariis, quibus Profeſſores & Magiſtri Scholarum & honorifice ſuſtententur, & ad induſtriam

omnem impendendam animentur. Nullis hac in re impenſis pepercere Romani: Quinctilianus primus, uti ſcribit Euſebius(h) Romæ publicam ſcholam & ſalarium ex ærario, quod *Fiſcum* adpellant, accepit. Nullam enim a diſcipulis mercedem exigebat, nec admittebat, ſed exſpectabat a Republica, in cujus emolumentum operam ſuam contulit. Veſpaſianus item Suetonio teſte (i) primus ex ærario Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena, id eſt, bis mille quingentos Philippicos conſtituit. Antoninus Pius Rhetoribus & Philoſophis non ſolum Romæ, ſed per omnes civitates atque provincias & honores & ingentia ſalaria decrevit, uti prodit Capitolinus, quæ *Provincialia* dicebantur, & quemadmodum obſervat Cauſobonus e Tatiano, ſexagena Seſtertia, nobis mille quingentos Philippicos, confecere. Eumenius de ſe ipſo fatetur, quod a Diocletiano & Maximiano quindecim omnino millia Philippicorum pro docendi munere obtinuerit: & Athalaricus Gothorum Rex ſtipendia Doctorum, rebus Romanorum labentibus plurimum imminuta & detracta, rurſum reſtituit, integraque quovis ſemeſtri perſolvi juſſit, ſi Caſſiodoro credimus (k). Nihil

(h) *In Chronico.* (i) *Orat. pro Scholis.*
(k) *Lib. 9. c. 21.*

Nihil enim hac profuſione detrimenti paſſurum eſſe ærarium, ſed potius maximum eruditionis & ſapientiæ lucrum facturos ſe credebant Principes iſti. Plurimum quoque ſtimuli adfert Magiſtris, ſi liberalitati accedat honoris exhibitio. M. Antoninum Imperatorem, cognomento Philoſophum Frontoni Cornelio Præceptori ſuo adhuc vivo ſtatuam in foro collocandam a Senatu impetraſſe legimus. Quod hi factis, alii verbis honorificentiſſimis præſtitere. Exſtat hodie exemplum, ait Gellius (l) epiſtolæ Philippi Macedonum Regis, qua terror ille Græciæ teſtatur, non magis ſe lætari, quod Alexander filius natus eſſet, quam quod Ariſtotelem haberet, cui puerum tradere poſſet inſtruendum: quin ipſe Alexander tanta hunc veneratione proſequebatur, ut palam dicere non erubeſceret: *Se illi non minus quam Patri debere, quod a patre vivendi, a Præceptore bene vivendi initium accepiſſet.* Nec deſunt inter Chriſtianos Principes exempla. Theodoſius Imp. M. Arſenium ſedentem docere juſſit, filios vero Arcadium & Honorium ſtantes diſcere. Gilbertum Floriacenſem, de quo dixi, Robertus Galliarum Rex ad Infulas Rhemenſes, Otto autem Imp. ad Summum Pontificatus ſolium ſub nomine Sylveſtri II. promoverunt. Ita Platina & St-

(l) *Lib.* 9. *c.* 3.

Sigonius (m). Idem supremæ dignitatis fastigium conscendit Hadrianus VI. Caroli V. Præceptor. Etiam post mortem Joannes Quirinus, nobilissima prosapia natus, Benedicto Primulo Magistro suo honorem habuit, dum splendidum e marmore monumentum in æde Minoritana eidem posuit, memor & egregiæ illius bonitatis, & singularis quam sub eo imbibisset eruditionis; cui facto, quod refert, hæc verba subjungit Egnatius (n): *Invisant igitur locum studiosi; juvenes frequenter, ut hoc exemplo edocti, quantum discipuli ipsi præceptoribus suis debeant, perpetuo meminisse velint.* Magistri autem ac Pædagogi auream illam Ciceronis sententiam cordi suo profunde inscribant (o): *Nullum munus Reipublicæ afferre majus meliusve possumus, quam si doceamus atque juventutem erudiamus, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coercenda sit.*

XXII.

Alterum ad artes ac scientias comparandas adjumentum sunt, ut dixi, Bibliothecæ, quas publicum sapientiæ ærarium, ditissimum omnis literaturæ gazaphylacium recte

(m) *Lib. 7. reg. Ital.* (n) *Lib. 5. c. 2.*
(o) *Lib. 3. de Divin.*

recte nuncupaveris. In his tot Doctores, quot bonos libros reperire licet, qui quum post fata ſua amplius voce nequeant, tacito quodam numine in ſcriptis poſt ſe relictis legentium animos optimis quibusque diſciplinis informant. Vivos non ſemper ad manus habere poſſumus magiſtros, nec niſi in uno aliove literarum genere præſtantes: at mortui in Bibliothecis ſemper præſto ſunt, & ad obſequia ſtant parati: hos in rebus dubiis conſulere, horum documenta & placita animo imbibere, ex his oracula excipere omni tempore licet, haud aliis quam ſedulæ lectionis ſumtibus. Elegans eſt elogium, quod eruditi alicujus auctoris libro texuit Lucas Penna (p). Ait enim: „Liber eſt lumen cordis, virtu„tum Magiſter, vitiorum depulſor: co„mes itineris, domeſticus amicus: ſem„per præſto eſt: nunquam non morige„rus, rogatus confeſtim reſpondet: Sin„cerus conſultor, non aſſentator, nemini „parcens, quia neminem timet: contra „adverſam fortunam defenſor, ſecundæ „moderator: paradiſus unde ejici non „potes, niſi cum volueris, doctor gra„tuitus, faciens te gnarum, ſi reperit „ignarum. „ Quodſi hæc Penna de uno libro

(p) *In Rubr. c. de navicular.*

libro docto, quid nos de integra Bibliotheca dicemus? Jam vero si quis in Bibliothecarum originem inquirat, ajo, rem hanc cum ipsis literis adinventam fuisse. Nam simul ac scire & sapere natum est, mox etiam scribere: hoc autem cum fructu esse non poterat, nisi adservarentur quæ scripta & in libros relata fuerunt, disponerenturque ita, ut ad præsentem & ad posterorum usum servirent. Privata primum hæc cura fuerat, quovis sibi suisque studiis prospiciente. Postmodum vero Proceres Reipublicæ ac Reges illis struendis animum ac operam adjecerunt, neque ad usum duntaxat, sed ad splendorem quoque ac ambitionem. Primus Regum, qui Bibliothecam illustrem condidit, Osymunduas in Ægypto fuisse perhibetur, cujus fronti hæc verba inscripsit teste Diodoro (q): Ψυχῆς ἰατρεῖον, seu *animi media officina.* Primus qui publicis usibus destinatam, velut emporium literarium Athenis struxit, Pisistratus tyrannus erat, qui Auli Gellii testimonio (r) *Magnus vir fuit, (odiosum hoc nomen scilicet tyranni tolle) & cui Homerum etiam digestum & correctum nunquam soluturi debeamus.* Primus vero, quod novimus, *librorum collector fuit, & qui Reges in Ægypto docuit Bibliothecæ structuram* Aristoteles, ut ait Stra-

(q) *Lib.* 1. (r) *Lib.* 6.

bo (s). Longum foret, per ſingulas has literatorum officinas ire: de omnium præcipuis ſolum veteris & recentioris ævi pauca commemorabo. Alexandrina Bibliotheca facile princeps erat, a Ptolomæo Philadelpho, Ptolemæi Lagidis filio, ſecundo hujus nominis & ſtirpis Ægyptiorum Rege conſtructa. Hic incredibili ſtudio ac impenſis regiis ex Aſia, Africa & Europa, ſcilicet a Chaldæis, Ægyptiis, & Romanis libros conquiſivit, atque in græcam linguam transferri curavit, eique Demetrium Phalareum præfecit, hominem quidem exulem a ſuis Athenis, ſed ſcriptis & factis admodum illuſtrem. De numero librorum, qui in hac ſcientiarum arce cuſtodiebantur, varia produnt Scriptores. Seneca (t) dicit: *Quadraginta millia librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum.* Fortaſſe ſolum iniit numerum eorum, qui Vulcano in prædam ceſſerunt, non autem illorum, qui flammis ſubtracti ſunt. Joſephus (u) ſcribit, Demetrium aliquando interrogatum a Ptolemæo, quot millia librorum modo numeraret, reſpondiſſe: ducenta millia admodum, quos tamen ad quingenta

(s) *Lib.* I. (t) *Lib. de Tranquill. c.* 9.
(u) *L.* 12. *Antiqu. c.* 11.

ta brevi afcenfuros effe fperaret. Hæc tamen adeo libris dives & fuperba Bibliotheca in bello Alexandrino fub Cæfare Dictatore, dum urbs capta a milite direpta fuit, flammis in pabulum magnam partem ceffit, fato literatis omnibus deplorando. Nihilominus inftaurata fuit non quidem eadem, fed confimilis, eodemque loco, nimirum in Serapeo feu Templo, porticibus vicinis portui & navalibus impofito, adnitente Cleopatra Ægypti Regina, & famofa Antonii amoribus fœmina. Hæc enim a marito illecebris fibi familiaribus impetravit, ut Attalicam feu Pergamenam Bibliothecam in urbem Alexandriam transferri jufferit. Ita combuftæ reliquiis, & recens advectæ fubfidiis aucta ornataque prioris famam Chriftianorum temporibus non folum fuftinuiffe, fed & fuperaffe vifa eft. Nam Aulus Gellius & Ammianus (x) copiam ajunt librorum in Ægypto a Ptolemæis Regibus vel emptione conquifitorum, vel defcriptione confectorum ad feptingenta fere millia ævo fuo excreviffe.

XXIII.

Serius Bibliothecarum cura ad Romanos pervenit, quam tamen moram poftmodum earum copia & magnificentia compenfavit. Primus ea in Urbe Bibliothecam inftruxit Cæ-

(x) *Lib.* 22.

Cæſare Auguſto invitante atque incitante Aſinius Pollio, Orator & Senator nobilis, quod Suetonius his verbis teſtatur: *Primus Romæ Bibliothecas publicavit Pollio, græcas latinasque, additis Auctorum imaginibus, in atrio, quod de manubiis Dalmatarum devictorum magnifice inſtruxit.* Et Plinius (y): *Aſinius Pollio primus bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* Ex horum verbis patet primo, Bibliothecam hanc e græcis latinisque libris compoſitam fuiſſe: dein eam a Pollione inſtructam, ornatam ac reparatam potius fuiſſe, quam exſtructam. Nam diu ante a Tib. Graccho patre Gracchorum magnam librorum copiam eum in locum congeſtam fuiſſe Plutarchus aliique ſcriptores memorant. Porro atrium illud erat *Libertatis* in monte Aventino ſitum, cujus meminit Ovidius (z) conqueſtus, libellum elegiarum ſuarum, in Ponto exilii loco ſcriptum, non fuiſſe in bibliothecam Aſinii receptum.

Nec me, quæ doctis patuerint prima libellis,
Atria Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Demum jam tunc temporis bibliothecas doctorum hominum & Heroum imaginibus

(y) *Lib.* 33. *c.* 11. (z) *Lib.* 3. *Triſt. eleg.* 1.

bus ſculptis, atque pretioſis hoſtium exuviis, aliisque parergis ad ſplendorem conciliandum fuiſſe exornatas. Paullo poſt, ipſe Auguſtus Imp. manus tam præclaro operi adjecit, duasque publicas erexit bibliothecas, quarum una *Octavia* nuncupabatur, utpote Sororis Octaviæ nomini ac memoriæ dedicata; de hac Dio Caſſius (a) ita loquitur: *Auguſtus porticus & bibliothecas a ſororis nomine Octavias dictas exſtruxit.* Erat autem particus hæc, in cujus ſuperiore loco memorata bibliotheca ſtabat, vicina theatro Marcelli, loco hodie adhuc Romæ noto. Altera *Palatina* dicebatur, quia intra ipſum Cæſaris palatium continebatur, de qua Suetonius (b): *Erat latina græcaque.* (id eſt græcis latinisque libris inſtructa) id factum eſt an. Urbis DCCXXVI. Quamvis autem idem Suetonius aſſerat, Bibliothecæ huic ab Auguſto additum fuisſe Cuſtodem ſeu Præfectum C. Julium Hyginum, inſignem Grammaticum, priſca tamen marmora docent, Græcam & Latinam bibliothecam (ſolis ut credo forulis diviſam) ſeorſim habuiſſe cuſtodes ſuos, utpote quorum uni inſcripta leguntur hæc verba;

AN-

(a) *In Actis an. Urb. DCCXXI.*
(b) *Cap.* 29.

ANTIOCHUS. TI. CLAUDI.
CÆSARIS. A.
BIBLIOTHECA. LATINA.
APOLLINIS.

alteri vero:

C. JULIUS. FALYX. A.
BIBLIOTHECA.
GRÆCA. PALAT.

Poſt Auguſtum Principes ſequentes in condendis bibliothecis veluti de palma certarunt. Tiberius unam condidit in Domo ſua, de qua Aulus Gellius (c): *Cum in Domus Tiberianæ Bibliotheca ſederemus, ego & Apollinaris.* Aliam Veſpaſianus, quam adjunxit Templo Pacis, ut denuo ex verbis Gellii colligitur, dicentis (d): *Commentarium Lucii Ælii, qui Varronis Magiſter fuit, ſtudioſe quæſivimus, eumque in Pacis bibliotheca repertum legimus.* Aliam Trajanus, de qua idem Gellius (e): *Sedentibus forte nobis in Bibliotheca Trajani:* atque hæc paſſim *Ulpia* vocabatur, quod nomen adhuc hodie tribuitur Romæ inſigni Bibliothecæ medicæ, quæ in magno Hoſpitali ad S. Spiritum adſervatur. Aliam Domitianus ut ferunt, *Capitolinam*, cujus meminit Euſebius (f): *in Capitolium* inquiens *fulmen ruit, & magna inflammatione*

(c) *Lib.* 13. *c.* 8. (d) *Lib.* 16. *c.* 8.
(e) *Lib.* 2. *c.* 27. (f) *In rebus commodi Imp.*

tione facta Bibliothecam & vicinas quasque ædes concremavit. Fortassis autem melius & verius dicitur, Domitianum Capitolinam conflagrantem restaurasse. Nam ut Suetonius testatur (g): *Domitianus bibliothecas incendio absumptas impensissime reparari curavit, exemplaribus undique petitis missisque Alexandriam, qui describerent, emendarentque.* Quibus e verbis patet, etiam tum temporis adhuc Bibliothecam Alexandrinam velut originem & matricem aliarum in honore habitam, & harum corruptos libros ex eadem iterum refectos fuisse & adornatos.

XXIV.

Hæc de veteris ævi Bibliothecis: nunc de illis, quibus recentiora tempora præ aliis illustrantur, quædam dicenda se se offerunt. Primum sacra dignitate sua locum occupat Bibliotheca Pontificia, quæ vocari solet *Vaticana.* Hujus initia admodum angusta repetere licet a primis D. Petri successoribus, qui sacros Codices, Pontificum aliorumque Patrum epistolas, Decreta, collatos Ordines, & Acta SS. Martyrum, Apologias pro Christiana Religione, hæresum nascentium historias & confutationes, quin & alios ma-

(g) *Cap.* 20.

maxime Philoſophorum ethnicorum libros, quibus opus erat primis Chriſtianis ad illorum dogmata refellenda, quam diligentiſſime adſervabant. Sed hæc erant Tabularia potius quam Bibliotheca. Unde facile adſentio Onuphrio Panvinio, legitima Bibliothecæ hujus initia ad Hilarium Papam, qui ſeculo Chriſti quinto vixit, referenti. Hic enim pace Eccleſiæ reddita optimos quosque libros cum ſacros tum profanos collegit, nec non cum reliquis in Bibliothecæ formam redegit, delecto ad fontem Lateranenſem loco, ubi diu conſtiterat. Verum a poſterioribus Pontificibus, ut commodior uſus foret, in Vaticanum Palatium translata eſt, ibique a Nicolao V. plurimum aucta, & a Sixto IV. inſigniter exculta fuit. Omnes tamen reliquos ſuperavit ſolita ſua magnanimitate in operibus publicis, quibus plena etiamnum hodie Roma eſt, moliendis Sixtus V. Quippe quum Bibliotheca hæc in loco depreſſo, obſcuro, & inſalubri ſtaret, novum e fundamentis ædificium ſtruxit, atque in ejus parte magis edita, perlucida, & ſalubri theſaurum hunc repoſuit, ſubſelliis & pluteis hinc inde diſpoſitis, libris ordine ſelecto collocatis, muris & fornice nobiliſſimis undique picturis diſtincto. Ita exornatam hanc eruditio-

ditionis ſedem liberalibus diſciplinis & publicæ utilitati ſolemniter dicavit anno MDLXXXVIII. Pontificii regiminis IV. Crevit hæc poſtmodum illatis in eam variis aliis Bibliothecis nobiliſſimis: Ducis Urbinatis ab Alexandro VII. Reginæ Sueciæ, & Electoris Palatini ab Alexandro VIII. Codicibus quoque plurimis extranearum linguarum a Clemente XI. Numiſmatum rariſſimorum copia a Clemente XII. Manuſcriptis bibliothecæ olim Ottobonianæ, & libris bonarum artium ac eruditionis Italicæ Marchionis Capponi a Benedicto XIV. Verbo, videre eſt ingentem adparatum ſacrorum & vetuſtiſſimorum codicum, volumina exquiſitiſſima nec facile alibi reperienda, libros omnis generis profanæ ac Eccleſiaſticæ eruditionis plenos, tanto qui vix iniri poteſt, numero. Inter Bibliothecæ Præfectos famam præcipue adepti ſunt Leo Allatius Chius, qui multa ingenii monumenta reliquit, & Lucas Holſteinius Hamburgenſis. Modo florent duo Aſſemani, Stephanus Evodius Archiepiſcopus Apamenſis, & Joſephus Simonius Bibliothecæ Præfectus, qui in Manuſcriptorum Codicum ſplendido catalogo ac editione deſudant, duobus jam Tomis in lucem datis. Plura invenire documenta licet apud Angelum

Roc-

Roccam, Mutium Panſam, & Onuphrium Panvinium, qui de Bibliotheca Vaticana copioſe ſcripſerunt. Vidi etiam non ita pridem inchoatum a Benedicto XIV. & jam pene abſolutum ſacrum Muſeum, Bibliothecæ adjectum, quod Pontifex hic eximia Antiquitatum Eccleſiaſticarum, maxime Veteris Romæ, undique collectarum ſupellectile inſtruxit, magis magisque augenda.

XXV.

Sequitur Vindobonenſis ſeu *Cæſarea* inter eas, quæ hodie in tota Europa celebrantur, famoſiſſima, cujus hiſtoriam Lambecius (h) ſatis amplam octo Tomis contexuit. Equidem omnes Imperatores e ſtirpe Auſtriaca oriundos, ſi a Rudolpho ad noſtram usque ætatem eorum ſeriem perſequi velimus, & eruditorum & eruditionis fautores fuiſſe maximos, quin & Mæcenates deprehendemus: Maximilianus vero I. etiam Cultor erat, qui inſignibus quibusque ac heroe dignis toga & ſago factis conſpicuus ad Julii Cæſaris imitationem rerum a ſe geſtarum Commentarios conſcripſit. Hic ut bonarum artium ſerius in Germaniam advectarum ſtudio ſtabiles ſedes figeret, in Comitiis Wor-

(h) *Lib. I. Commentar.*

Wormatiensibus an. 1495. decrevit, ut Septemviri in sua quivis ditione publicas scholas sive Academias instituerent: Ipse vero eam in se curam suscepit, ut Bibliothecam Cæsare dignam Vindobonæ conderet. Primo quidem Manuscriptorum librariam supellectilem a Patre suo Friderico IV. relictam grandi numero collegit Æneæ Sylvii primum, & post Georgii Peurbachii doctissimorum hominum industria: Tum post inventam circa annum 1440. typographiam librorum impressorum immensam copiam comparavit Bibliothecæ inferendam: Demum e capta direptaque Constantinopoli, quotquot volumina communem ruinam atque rapinam evaserant, diligentissime conquiri jussit, eorumque magna accessione bibliothecam auxit. Neque hac contentus Cæsar Maximilianus plurimis codicibus manuscriptis, qui e Monasteriis Austriacæ ditionis extracti fuerunt, & libris, qui e famosa Bibliotheca Budensi a Mathia Corvino Hungariæ Rege maximis sumtibus olim instructa, sed post Budam a Solimanno expugnatam ac misere direptam distracta per privatorum manus vagabantur, ære suo redemptis eam locupletavit, adjuvantibus doctos Cæsaris conatus Conrado Celtis, Poeta primo qui in Germania a Friderico
IV.

IV. laurea donatus fuit, & in Vindobonenſi Academia munus Profeſſoris eloquentiæ & poeſeos ſuſtinuit, & Joanne Cuſpiniano, Hiſtoriographo & Cæſari a conſiliis, qui poſthumis ingenii monumentis inclaruit. Maximiliani veſtigiis inſtiterunt Ferdinandus I. Maximilianus II. & Leopoldus I. quippe ſub horum glorioſo non minus quam munifico regimine, partim translatæ partim coemptæ fuerunt ſatis multæ bibliothecæ privatæ, uti Conradi Celtis, & Joannis Cuſpiniani, de quibus memini, præterea Joannis Fabri Epiſcopi Vindobonenſis, Joannis Deuſchvvamii, Wolfgangi Lazzii, Joannis Sambuci, Augerii Busbequii, Richardi Streunii, Hugonis Blotii, Tychonis Brahæi, Sebaſtiani Tegnagelii, Philippi Edardi Fuggeri, ut ita non immerito Bibliotheca Bibliothecarum adpellari poſſit. Ultimum acceſſit ornamentum ſub Carolo VI. qui, ut magnificentius habitarent etiam poſt fata ſua fortes illi ſpiritus, librorum ſcriptores immortalitate digni, novum ad inſtar Templi ædificium ſtruxit, cujus medium ambitum occupant Imperatorum e Domo Auſtriaca ſtatuæ, & inter has veluti centrum Caroli VI. marmorea effigies: circum circa vero ſtant in altis pluteis celebratiſſimi per orbem Herois, Prin-

cipis Eugenii libri rariſſimi, rubro omnes corio cum aureis parergis contecti non ſine intuentium delectatione ac admiratione. Curioſius dum Bibliothecam hanc luſtrarem, indaganti mihi, quot libri in hoc literarum armamentario continerentur, reſpondit quidam cuſtodum Bibliothecæ: centum & triginta millia non adnumeratis Manuſcriptis, quæ totam ſuperiorem peridromidem implent.

XXVI.

Pariſienſis *Regiæ* Bibliothecæ initia quidam ad Caroli M. tempora reducunt, utpote de quo Principe, non minus de Eccleſia quam de bonis artibus præclare merito, conſtat, quod Bibliothecam libraria ſupellectile ſatis divitem adornarit: Verum etiam conſtat, libros Bibliothecæ hujus poſt Caroli mortem ejusdem voluntate divenditos fuiſſe, pretio in pauperes diſtributo. Nam *de libris* inquit Eginhardus (i) *quorum magnam in Bibliotheca Palatii ſui Aquenſis copiam congregavit Carolus, ſtatuit vi teſtamenti ſui, ut ab his, qui eos habere vellent, juſto pretio redempti, pretium in pauperes erogaretur.* Non minus Ludovicum Pium Caroli filium & regni hæredem, itemque Carolum

(i) *In ejus vita.*

lum Calvum Imperatoris ex Ludovico Nepotem, qui eidem ſucceſſit, bibliothecas habuiſſe produnt Acta Synodi Ticinenſis an. 876. congregatæ, quibus ſubſcripſiſſe legitur Hilduinus Abbas S. Dionyſii & *Bibliothecarius* Caroli Calvi. Hæ tamen potius privatæ ac domeſticæ, quam publicæ Bibliothecæ ſpeciem præſetulerunt. Longa poſt annorum ſerie Carolus V. cognomento *Sapiens*, & Carolus VI. regia munificentia Bibliothecam publicis uſibus ſervituram moliri cœperunt, conquiſitis undique præſtantiſſimis Codicibus, ita ut merito ab his Regibus initia peti debere videantur. Poſtmodum ſub Ludovico XI. quum typographia in Galliam, & primo quidem Lutetiam Pariſiorum, circa annum 1470. eſſet introducta, ingens incrementum ſumpſit regia Bibliotheca. Quippe Ludovicus omnes, quotquot tum temporis in publicam lucem prodibant, editiones celebriores in eam tanquam in horreum quoddam literarium conferri juſſit, facta etiam Manuſcriptorum Codicum acceſſione. Promovit cœptum opus ſtrenue Carolus VIII. dum Robertum Gaguinum hominem literatiſſimum ei præfecit, qui poſtea ſub Ludovico XII. multas legationes obiit in Germania, Italia, Britannia &c. quumque magnam ipſi vim pecuniæ ad-

pendiſſet Rex, veteribus libris ubique Legationum occaſione conquiſitis & coemptis reverſus eſt in Galliam, doctis his ſpoliis onuſtus, iisque Bibliothecam regiam locupletavit. Plurimum quoque profuit opera & induſtria Joannis Laſcaris, e Græca Imperatoria familia oriundi, quem mortuo Laurentio de Medicis ex Hetruria in regnum ſuum advocavit idem Ludovicus. Nam hic & græcas literas in Galliam, & patriæ linguæ Codices quamplurimos in Bibliothecam introduxit. Manuſcriptorum adparatus ingens debetur Franciſco I. quem *Literarum Parentem* & *Scientiarum Reſtauratorem* adpellant Scriptores Galli. Hic enim Laſcaris & Joannis Budæi conſilio miſſis in exteras regiones Orientales eruditiſſimis Viris has opes congregavit: Henricus vero II. & Carolus IX. coemendis privatis bibliothecis intenti erant, quibus veluti rivis augeretur magis flumen jam ſatis vaſtum. Sub Henrico IV. volumina maximi pretii Latina, Græca, Hebraica, Arabica, Italica, quæ Catharina de Medicis Henrici II. uxor ſecum adtulerat, in eam migrarunt. Sub Ludovico XIII. integra bibliotheca Philippi Huralti Epiſcopi Cadurcenſis 12000. Librarum impendio comparata illuc fuit translata: quin etiam e Typographia Regia ejusdem auſpi-

auspiciis in Palatio erecta an. 1640. tot elegantium editionum, quæ inde in Europam prodierunt, omnium aliquot exemplaria in Bibliotheca reposita fuerunt, hodieque visuntur. Coronidem imposuit Ludovicus XIV. qui præter florentissimas Eruditorum Societates in Gallia & Lutetia fundatas, præter varia instituta Doctorum Virorum Collegia, splendorem summum Bibliothecæ conciliavit, missis in varias orbis regiones Viris scientissimis, inter quos Joannes Mabillonius O. S. B. notissimum cunctis eruditis nomen, qui per plurimas Europæ Bibliothecas peregrinati opulentiam ingentem in re literaria, tanquam itinerum suorum fructum reportarunt, huicque Palladis Sacrario intulerunt, e quo 16. millia Codicum manuscriptorum, & 80. millia librorum impressorum continente præterito seculo tot elegantes ingeniorum partus nobis exhibuerunt Mabillonius, D. Baluzius, Montfauconius, Sirmondus, Harduinus, & alii.

XXVII.

Nolim ultra persequi Bibliothecarum historiam, pro qua conscribenda vix ingens volumen satis foret. Universe de his scripserunt Ludovicus Jacobus, Gabriel

Naudæus, Jodocus a Dudinck, Galesius, Joannes Lomeierus, præter alios bene multos, qui librorum in singularibus bibliothecis catalogos ediderunt. Pene nulla celebrior urbs est in Europa, ubi non unam alteramve bibliothecam hoc seculo invenire sit. Sola magis notarum nomina prodo: in Alma Urbe præter Vaticanam sunt magis conspicuæ Barbarina, Sapientiæ, Borghesiana, Pamphiliana, Casanattensis, Collegii S. J. Romani, Angelica seu Augustinianorum, Congregationis de Propaganda. *In reliqua Italia:* Florentina seu Medicea, Taurinensis, Parmensis, Patavina, Veneta S. Marci, Neapolitana, Mediolanensis seu Ambrosiana, Collegii S. J. Panormitani in Sicilia. *In Gallia:* Lutetiæ Parisiorum præter Regiam Colbertina, Mazariniana, Facultatis Theologicæ Sorbonicæ, Collegii S. J. Ludoviciani, S. Germani Ord. Bened. Cong. S. Mauri, Fratrum Prædicatorum, Monasterii S. Genovefæ, &c. Lugdunensis, Bituricensis. *In Germania* præter Viennensem Aulicam, & Collegii S. J. Aquisgranensis, Argentoratensis, Fuldensis Melicensis, Augustana, Augusta Brunsvvicensis, Berolina, Monacensis Aulica, & Collegii S. J. Ingolstadiana S. J. Lipsiensis seu Paulina. *In Anglia:* Regia West-

mo-

monaſterienſis, Oxonienſis, Londinenſis in Eccleſia S. Pauli. *In Hiſpania* Complutenſis, Sevilienſis, & S. Laurentii in Eſcuriali. *In Luſitania* Conimbricenſis Collegii S. J. *In Suecia* Upſalenſis. *In Dania* Hafnienſis. *In Bohemia* Pragenſis. *In Batavia* Lugdunenſis Batavorum. *In Belgio* Lovanienſis, Antvverpienſis S. J. *In Boruſſia* Regiomantana. Sunt aliæ plurimæ, maxime privatæ Monaſteriorum omnis Ordinis, & Collegiorum Societatis Jeſu, quæ ubique pro Inſtituti ſui ratione Bibliothecis erigendis augendisque invigilat. Verbo, tot hoc ſeculo ſunt, ut auſim dicere, non hominibus Bibliothecas, ſed homines Bibliothecis deeſſe. Ex his aliquæ excellunt Manuſcriptis, aliquæ vetuſtis Codicibus, aliæ raris editionibus, aliæ rei Antiquariæ, Diplomaticæ, Numariæ monumentis, aliæ libris hiſtoricis, Medicis, Juridicis, Theologicis, Mathematicis &c. aliæ Codicibus S. Scripturæ, ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, Liturgiis &c. aliæ omnis ſortis & literaturæ Lexicis, aliæ aliis. Deus bone! quantum hoc ad omne literarum genus, ad omnes artes & ſcientias comparandas adjumentum, de quo ſecundo loco dicebam? Huic velut appendix accedit nobile Inſtitutum Literarium Socie-

cietatum, vel ut vocant Academiarum, quibus, si sobrie, sine fastu & vana ostentatione colantur, nihil ad disciplinas magis magisque perficiendas, earumque arcana detegenda utilius, quum nonnisi homines de literatura bene meriti in illis consocientur, doctas lucubrationes suas inter se communicent, selectissimas de variis scientiis quæstiones magno studio & accuratione pertractent, easque postmodum sub Ephemeridum, vel Actorum, vel alio sub titulo orbi literato communes faciant. Ejusmodi Societates quatuor erectæ fuerunt Seculo XVII. a quatuor Clarissimis Principibus. Carolus II. Britanniæ Rex an. 1660. Londinensem Regiam Societatem auspicatus est. Parisiensem itidem Regiam an. 1666. condidit Ludovicus XIV. Galliarum Rex, ad excolendas præcipue sex disciplinas, scilicet Geometriam, Astronomiam, Mechanicam, Anatomiam, Chymiam, & Botanicam. An. 1647. Societatem Naturæ curiosorum in Germania a Bauschio & Fehrio Medicis Suinfordensibus inchoatam confirmavit atque in fidem recepit Leopoldus I. Imperator. Berolinensis Regia Societas an. 1700. a Friderico Borussiæ Rege stabilita fuit. Hoc demum Seculo XVIII. novus bonarum artium Instaurator velut

velut in theatrum prodiit, & quidem in medio nationis tot retro seculis penitus incultæ, nimirum Petrus Russorum Monarcha, qui magnis ipse itineribus per Europam defunctus, ut coram videret culturam literarum, morum & regiminis apud varias nationes, domum redux nullis sumtibus, nullis laboribus pepercit, ut barbariem ac ignorantiam e vastissimis Imperii sui finibus proscriberet, civibusque suis doctrinarum fontes aperiret, atque eum in finem accersitis doctissimis ex Europa Professoribus duas Academias condidit, unam Moscoviæ, alteram Petroburgi.

§. II.

Detrimenta Artium & Scientiarum.

XXVIII.

Optime constituta his, quæ pluribus adduxi, & Artificum & Instrumentorum, dicere volo, Magistrorum insignium & Bibliothecarum adjumentis videri posset Respublica literaria, si non, ut in rebus humanis contingit, detrimenta forent (& sors adjumentis plura & majora) quibus recta studiorum ratio turbatur, & felix artium ac scientiarum cursus sistitur.

Et

Et primo quidem noxia quædam & exlex disciplinarum libertas priori & hoc potissimum seculo apud non paucos invalescere cœpit, qui ut multa subito sciant, parum vel nihil solide ac utiliter scire malunt. Hinc limitum impatientes vagam discendi quin & docendi methodum sequuntur, sine legibus, sine præceptis, id quod omni prorsus Veterum Optimorumque auctorum & in arte Magistrorum sententiæ adversatur, qui tam solicite in cunctis artibus & scientiis certum ordinem, certasque regulas præscripserunt, quibus studiosa juventus ab uno velut gradu ad alterum pede presso usque ad fastigium perduceretur. Satisfaciunt hi sibi, ac præclare secum agi credunt, si per varios vagentur libros, quædam, quæ magis arrident genio suo, adnotent, apophthegmata aliqua & speciosa dicta memoriæ mandent, parum soliciti de fundamentis, de partium divisione ac nexu, de artificio occulto, de tota artis vel scientiæ structura: omne tempus, quod longiori indagini ac feriæ meditationi tribuitur, perditum esse arbitrantur, ac subtrahi reliquarum scientiarum præcipiti studio conqueruntur, quas omnes brevi manu quasi in suam potestatem redigere se posse sibi arrogant. Hinc diuturnioris itineris pertæsi

tæſi citatis equis, & ut vulgus loquitur, *per poſtam* in eruditionis patriam contendunt. Videtur mihi libertas hæc in literum ſtudio quodam modo eſſe ſimilis pesſimæ illi in religionis negotio libertati, quam qui ſectantur, dicuntur eſſe de ſecta Libertinorum, nimirum qui avitam veramque religionem, ejusque dogmata & placita averſantes nullius quoque alterius vinculis conſtringi volunt, ſed ex omnibus temere quædam arripiunt, & ſibimet ipſis religionem fabricant, carni ac ſenſibus blandientem, cum ſumma ſupremi Legislatoris injuria. Non equidem me latet, id quod de apum republica homines iſti exemplum pro domo ſua adferunt, videlicet eas, etiam dum per florum prata vagantur, & nunc huic, nunc illi, mox alteri floſculo oſculum figunt, nihilominus mel optimum colligere, ac favum conſtruere longe dulciſſimum. Verum noſſe hos oportet, animalcula iſthæc hanc mellificandi rationem a natura magiſtra doceri: At homines literati ac docti fiunt per artem, quam rem longiori temporis ſpatio, & majori laboris impendio, quam id quod natura dictante fit, indigere in omnibus videmus. Eſt & alia in docendo non minus noxia libertas, dum quibusdam in regionibus paſſim ac ſine

ſine delectu docendi munus, & Collegia ut vocant privata & domeſtica aperiendi facultas conceditur, ita ut ſcholæ hujusmodi ſint quaſi tabernæ, ubi hedera exponitur pro optimo, ut jactant, vino vendendo. Prætenditur ſpecioſus titulus æmulationis accendendæ, ac præſtantium Profeſſorum plantarii conſtituendi, dum quivis alterum & doctrinæ fama, & auditorum numero ſuperare conatur. Sed re ipſa ut plurimum nonniſi gravium diſcordiarum tum inter Profeſſores, tum inter diſcipulos ſeminarium hoc eſſe ſolet, dum unus alterius doctrinam deprimere, ſuam extollere nititur: interea ſcholæ publicæ jacent, & Academiarum majeſtas attenuatur: non tam attenditur, quid ſolidi cibi adponatur, quam quid juventuti placeat: placent autem huic heteroclitæ opiniones, oſtentatio antiquitatis obſoletæ, temerariæ ſententiæ, hiſtoriæ multo ſale in religionem ac ſacerdotium conſperſæ: ultima cura veritatis, cujus tamen inveniendæ, ac communicandæ gloriam intolerabili faſtu ſibi ſolis arrogant. Qui hac ratione plus famæ apud juvenes rerum inexpertes, & quo hæc omnia tendant, ignaros adipiſcitur, pluresque ad ſe auditores trahit, majus etiam ac ingens ſæpe minerval exigit ab iis, quibus foret

foret salubrius ignorantiam ejusmodi doctrinarum magna etiam pecunia redimere.

XXIX.

Alterum genus detrimentorum sunt quædam animi vitia, quæ uti hominibus literarum studiosis maxime insidiantur, ita ab illis, si vere docti esse ac haberi velint, magna circumspectione sunt vitanda. Ejusmodi est mentis quædam elatio, quæ non paucos inflat, & ad ea tentanda stimulat, quæ ipsorum ingenii vires excedunt, quique cum laude fuissent versati in bonis artibus, si cum aurea mediocritate stetissent contenti: sed dum solis currum cum Phaethonte, ausi sunt conscendere, cum ignominia omni nominis sui ac doctrinæ fama exciderunt. Sunt qui ad Grammaticam, Poesin, Historiam velut nati videntur; at Philosophi quoque, Mathematici, Theologi volunt haberi, quum has scientias vix de nomine quidem norint. Unde fit, ut dum multa de his inepte loquuntur, multa perperam scribunt, merito a rerum intelligentibus rideantur. Non paucos etiam novum quid inveniendi gloria transversum agit, qui aliorum terere vestigia dedignantur, sed vel antiqua novis vestibus induta, vel certe talia proferunt, quæ ætatem non ferunt,

ferunt, fungis similia, qui intra noctem crescunt, & cito dispereunt. Est equidem res in literario regno laude dignissima, novis inveniendis studere, quum plurima sint, quæ Veteres ignorarunt, & a nostris detecta fuerunt, & adhuc multa sint, quæ nos quoque latent, sed a posteris nostris in apricum proferentur. Verum ad hoc studium nemo accedere debet, qui non acri ingenio, indefessa industria, & ad superandas difficultates, quæ contra possunt occurrere, maxima perspicientia est obarmatus, ne medio in cursu navis destituta ventis in sabulo hæreat. Aliud vitium est, quod Græci *φιλαυτίαν*, Latini Philautiam vocant, quo morbo laborant, qui de magna sibi doctrina suspecti, quidquid ipsi e cathedra pronunciant, quidquid scribunt, aureæ ætatis partus esse credunt, aliorum vero doctos labores ad æneam & ferream regerunt. Hi doctrinæ suæ arbitrium ad famam plebis deferunt, & assentatores quærunt, qui plenis buccis eorum eruditionem quaquaversum promulgent, epigrammatibus, rhythmis altum sonantibus ad omnes civitatis angulos adfixis celebrent, & thura ferant semideum horum aris. Nec desunt ut plurimum parasiti, quibus infra utilitatem amicitia est, quique literatos hos Proceres ubi-

ubique comitantur, ubique adplaudunt. Vitium hoc eo nocentius est, quo latius se se propagat, ita ut multi vel ingenio debiles, vel similem ore aperto fumum captantes verum ac sincerum literarum cultum negligant, distortas de scientiis ideas imbibant, ac masculæ eruditionis gustum omnem perdant.

XXX.

Tertio loco venit memorandum id, quod quidem inter adjumenta literarum posui, sed per abusum non raro in detrimentum degenerare solet, nempe indiscreta, & vaga, aut nimis curiosa, minusque cauta librorum lectio: Primo modo, si sine delectu instituatur, & ab uno ad alterum argumentum absque ulla mora & animadversione pergatur, multa quidem leguntur, sed non multum: rerum copia obruitur memoria, nec ordo ille, partium nexus & harmonia, qua artes ac scientiæ gaudent, ipsumque adeo artificium unquam addiscitur, sed chaos quoddam ac indigesta moles animo inhæret, nunquam ad maturitatem perventura. Unde fit, ut fragmenta solum disciplinæ alicujus colligamus, nullo autem tempore ipsam perspiciamus integram œconomiam. Observare hoc grande vi-

tium licet in multis ſcriptoribus, qui de arte aut ſcientia quadam, aliove argumento copioſe quidem differunt, multaque erudita inſpergunt, ſed parum ordinate, ſine partium ſymmetria, absque debita diviſione, absque legitimis probationibus & concluſionum nexu fluxuque, ita ut ſub finem lector ubique ſparſa membra intueatur, nullibi vero corpus inveniat: Secundo modo, ſi libri ab incertis auctoribus, ſine cenſura publicaque adprobatione, ſine anno, die, ac conſule, aut palam ab heterodoxis & heterodoxe ſcripti a rerum & artium occultarum in inexpertis, maxime a juvenibus legantur. Deploranda res eſt, videre tot libros per Imperium, per regna, per civitates impune ac ſine fræno quaſi circumvolitantes, qui ſub ſpecioſo eruditionis comparandæ, aut certæ cujusdam diſciplinæ tradendæ titulo principia atheiſmi, dogmata Machiavelli, politicas artes humano divinoque juri repugnantes, hiſtorias vel potius fabulas ad odium & contemptum adverſus Sanctam Sedem, & Eccleſiaſticum regimen, ac leges Canonicas inſtillandum affabre compoſitas, calumnias & criminationes falſiſſimas Deo ſacrarum perſonarum, & de Chriſtiana republica optime meritarum, ipſi juri naturæ ſumme adverſan-

ſantes, & veluti per otium non raro a viliſſimis Rhyparographis inſperſas continent. Venenum autem præſentiſſimum tegitur ſermonis elegantia: ſiquidem hoc tempore tam concinne texuntur omnia, tam fluidis verbis, tam bene collocatis, tamque blandis & ad delectandum animum idoneis, ut nihil ſit adeo falſum, quod non veri ſpeciem induat. Nihil ſane iſtis magis noxium, nihil magis injurium accidere poteſt tum ipſis ſcientiis, ſub quarum pallio in publicum prodeunt, tum veræ Religioni, quæ ſcientiarum ſcientia eſt. Et tamen ſi pro merito caſtigentur, ſi prohibeantur & damnentur, concurritur, conclamatur, obſtrui fontes ſinceræ doctrinæ, opprimi libertatem vera ſcribendi, eripi e manibus eruditionis theſauros, & ignorantiæ ſecula poſtliminio revocari. Divini Platonis hac in re jam olim regula & lex erat, *noxam reipublicæ reputandam eſſe, ſi ſine ſeniorum cenſura libri vel carmina in publicam lucem prodirent.* Quos obſecro bonarum artium & ſcientiarum fructus ex ejusmodi carioſis arboribus decerpendos, quam limpidas doctrinæ aquas ex infectis adeo fontibus hauriendas eſſe credimus aut ſperamus? At dicunt, utiliter legi poſſe ejusmodi libros, promendo duntaxat nucleum ſanæ doctrinæ, reliqua parerga mi-

nus casta & sobria velut nucum crustas abjiciendo aut certe contemnendo. Sed quinam sunt, qui hæc dicunt? Homines Catholici: utique. Sed qui plerumque jam proni sunt ad libertatem in religionis & morum negotio, qui jam gustum quemdam corruptum de rebus ad Ecclesiasticam disciplinam & forum pertinentibus circumferunt, quique eorum e numero sunt, de quibus Poeta canit:

Video meliora proboque,
Deteriora sequor.

Contingere cum ejusmodi libris solet, quod cum cibis: adponitur quoddam ferculum bene conditum, & palato gratissimum, quod tamen stomacho male affecto noxium esse non ignoratur. Aspicitur bis terve, gustatur parum, quia *parum veneni non nocet:* rursus parum & denuo parum, donec tandem pene totum absumatur. Interea parum hoc veneni in viscera grassatur, & morbus præ foribus stat, non sine sanitatis aut vitæ perdendæ periculo. Abstinendum erat statim initio, dicendumque: *tanti pœnitere non amo.*

XXXI.

Quartum denique detrimentum omnium gravissimum, cujus discrimini artium & scien-

ſcientiarum ſtudium præcipue in Academiis & Lyceis majoribus ſtat expoſitum, eſt neglectus diſciplinæ ac virtutis. Sunt quidem nonnulli, qui magnæ doctrinæ cum magna religione, ac literis cum virtutis ſtudio non bene convenire exiſtimant, quorum rationes non abs re futurum eſſe exiſtimo, ſi breviter heic expendam. Primam adferunt, quia ſcilicet magna doctrina rigorem aliquem ad ea, quæ religionis ſunt, inducere videtur. Quippe animus a ſtudiis profanis laſſus torporem, & ut ita dicam, frigus periculoſum contrahit, quo divinarum rerum ſenſus paulatim extinguitur: non ſapiunt preces & officia pietatis, non cœleſtium ſeria meditatio, quum ab his dulcedine ſublimium cogitationum, & curioſa indagatione arcanorum naturæ mens continuo abſtrahatur. Altera eſt, quia animi elationem & faſtum creat, teſte Apoſtolo: *Scientia inflat.* Nam homines docti ſapientiæ ſuæ teſtimonio ſupra cæteros evecti alios mediocris minervæ facile deſpiciunt velut longe infra ſe poſitos; & dum illis adplauditur, ſemideorum choro ſe immiſcent: verbo: ſibi ſunt omnia. Tertia demum, quia viam aperit non raro ad *Indifferentismum* ut adpellant, quod ſane in Rotterodamo, Cardano &c.

jam olim obſervarunt aliqui, & recentiora habemus exempla in quibusdam heterodoxorum, quos *fortes literarum ſpiritus* vocant, quorum dogmata & plaçita, quæ in libris ſuis venditant, nullius eos eſſe religionis palam faciunt, ut in libro de Jurisprudentia apertius dicam. Verum facilis eſt ad hæc reſponſio. Primo enim, dum homines docti plurimum diei tempus ad ſtudia conferunt, vivunt remoti a deliciis & voluptatibus, quæ vel maxime officiunt veræ religioni ac virtutum exercitationi: & quo plura ſciunt, eo melius animum ad auctorem bonorum omnium ac ſapientiæ fontem Deum elevant. Certe ut eos ſolum honorifice compellem, qui encyclopædiam coluerunt, videre eſt Lipſium, Cauſinum, Petavium, Sirmondum, Calmetum, Gretſerum, Mabillonium, homines religioſiſſimos ſimul, doctiſſimosque. Dein ſuperbia & faſtu laborant duntaxat illi, qui ſemidocti & ſcioli ſunt. Vere ſapientes dum velut emenſo aliquot dierum maritimo itinere ſemper eundem ante ſe vaſtiſſimum ſcientiarum oceanum adhuc ſuperandum intuentur, facile vela contrahunt, nec tam iis gloriantur, quæ didicerunt, quam ad ea, quæ diſcenda ſuperſunt, anhelant. Legimus Lipſium gentilitio ſcuto ſuo hanc inſeruiſſe epigraphen:

phen: *Virtute & modeſtia.* Denique nihil ab *Indifferentiſmo* vel *Atheiſmo* apud ſcientiarum ſimul ac virtutis ſtudioſos timendum. Hæc enim religionis monſtra non a literis, ſed amoribus flagitioſis apud eos, qui rationis regimen illecebris & voluptatibus ſubverterunt, naſcuntur. Sobria doctrina potius rationi facem præfert, & per mundi hujus tenebras ad ultimum finem ſuum, ad Deum recta deducit. Quodſi contra ſpem accidat, ut in Athenæis virtus & ſcientia detrimentum patiantur, magna & præcipua culpæ pars in diſciplinæ publicæ neglectum recidit. In illis, quæ ſapientiſſimi Academiarum & Gymnaſiorum conditores præſcripſerunt, Statutis non paucos reperire licet articulos de morum honeſtate, vitæque totius probitate, quam graviſſimis verbis inculcant & ſcholas frequentantibus, ut obſervent, & ſcholiarchis, ut obſervari faciant. Unum duntaxat, ſed conſpicuum hujus rei teſtimonium adduco: De Academiæ Romanæ ſeu Archigymnaſii diſciplina & legibus ita loquitur ſcriptor recens Joſephus Carafa (k): „Singulis annis, ait, die 18. „Octobris, quæ S. Lucæ feſtiva eſt, ex „antiquiſſimo more conveniunt in Gym„naſium Profeſſores, Rector, Advocati„que

(k) *In Lib. cit. de Gymn. Rom. c.* 10.

„ que Consistoriales, & sacro celebrato
„ legitur e pulpito catalogus Professorum,
„ & Edictum Rectoris pro recta studiorum
„ ordinatione. Hujus Edicti summa hæc
„ est: I. ut singulis diebus cum lectiones
„ habentur, celebretur Sacrum in Ecclesia
„ Gymnasii, ut ei Professores auditores-
„ que interesse possint. II. Monet &
„ hortatur Professores auditoresque, ut
„ Eucharisticam mensam frequenter adeant,
„ atque honeste vivant. III. Jubet in
„ scholis totoque Gymnasio universos mo-
„ deste, urbane, liberaliterque se gerere,
„ præsertim vero a discipulis coli Institu-
„ tores. IV. Arcet prohibetque a toto
„ Gymnasio ludos omnes, clamores, scom-
„ mata, & alia hujus generis, quæ non
„ decent loci majestatem. V. Pariter
„ vetat armis cujusvis generis munitos
„ scholas adire, & mutuis conviciis vel
„ ictibus contendere, sive decertare. VI.
„ Ne perditi adolescentes violent Gymnasii
„ sanctitatem, mandat ut nullis liberum sit
„ ad Jurium vel Medicinæ studia se confer-
„ re, nisi a Rectore veniam impetraverint.
„ VII. ut inferiores Gymnasii Ministri ca-
„ veant studeantque, ne Professores a
„ scholis habendis perturbentur, & ne
„ quid sit in Gymnasio indignum, inhone-
„ stumque. VIII. ut ne illorum ædes aliis
„ lo-

„ locentur, vel vacationum tempore ſcho-
„ læ aliis uſibus occupentur. IX. ut qui
„ violaverint hæc ſtatuta, pœnis ſint af-
„ ficiendi. X. ut Profeſſores ſtatis diebus
„ & horis non deſint officio ſuo, hortatur
„ atque mandat. XI. Qui vero defuerint,
„ eos ſtatuit puniendos, detracta ſalarii
„ parte. XII. puniendos quoque decernit
„ Profeſſores, qui nec ſeptem habeant
„ Auditores. XIII. Quæ omnia ut perſpe-
„ cta ei ſint, jubet Bidellum ſingulis ho-
„ ris circumire ſcholas omnes, atque ne-
„ gligentes inutileſque Profeſſores Rectori
„ indicare. XIV, Edicit, ex ægra valetudi-
„ ne duntaxat fas eſſe Profeſſoribus a ſcholis
„ abeſſe, non vero ex aliis officiis, negotiis-
„ que, quibus non debuiſſent ſe ſe implica-
„ re. XV. Fas non eſſe Profeſſori impedito
„ vices ſuas alteri demandare, cum id ſpe-
„ ctet ad Rectorem. XVI. Denique indictis
„ pœnis mandat, ne quis in Urbe ſive priva-
„ tim, ſive publice ludum literarium inſti-
„ tuat.„ Non minus aliæ per Europam Aca-
demiæ Catholicæ pro diverſitate locorum ac
regionum ſaluberrimas de moribus leges ha-
bent præſcriptas, quibus nocturnæ evagatio-
nes, compotationes, luſus pernicioſi, ſuſpectæ
domus &c. graviſſime interdicuntur. Ubi
Societas Jeſu Academiæ regimen obtinet,
tenentur etiam diſcipuli omnes ſingulis die-

 bus

bus adſiſtere ſacro, Dominicis Concioni, atque ab hoſpitiis frequentandis, & gladiorum uſu abſtinere: Gymnaſia vero his perpetuis legibus gubernantur (l): „I. Qui „diſcendi cauſſa Societatis JEſu Gy„mnaſia frequentant, intelligant, Deo „juvante non minus curatum iri pro viri„bus, ut pietate, cæterisque virtutibus, „quam ut ingenuis artibus imbuantur. „II. Eam quisque claſſem frequentabit, „quæ illi poſt examen a Præfecto fuerit „adſignata. III. Singulis ſaltem menſibus „omnes peccata confiteantur, ac Miſſæ „ſacrificio quotidie conſtituta hora, Con„cioni vero diebus feſtis decenter inter„ſint. IV. Explicationi Catechismi ſingu„lis habdomadis omnes interſint, ejus„que compendium ediſcant, ut a Magi„ſtris fuerit conſtitutum. V. Nemo ex „noſtris diſcipulis gymnaſium cum armis, „gladiolis, cultris, aut aliis ejusmodi, „quæ pro locis & temporibus interdicta „fuerint, ingrediatur. VI. Abſtineant „omnino a jurejurando, a contumeliis, „ab injuriis, detractionibus, mendaciis, „& ludis vetitis, a locis etiam noxiis, „vel a Præfecto ſcholarum interdictis, de„nique a rebus omnibus, quæ morum „honeſtati adverſentur. VII. Intelligant, „in

(l) *Inſtit. S. J. de Rat. ſtud.*

,, in iis, quæ ad mores ac ſtudia bona-
,, rum artium ſpectant, cum præcepta,
,, ſive admonitiones, minus proderunt,
,, Magiſtros correctoris opera in ipſis pu-
,, niendis uſuros: qui aut pœnas recuſa-
,, rint, aut ſpem emendationis non oſten-
,, derint, aut cæteris moleſti, ſive exem-
,, plo ſuo pernicioſi fuerint, ſciant ſe ex
,, noſtris ſcholis eſſe dimittendos. VIII.
,, Omnes ſuis quibusque Magiſtris obtem-
,, perent; rationem vero ſtudendi ab illis,
,, præſcriptam tum in ſcholis, tum domi,
,, quam diligentiſſime ſervent. IX. Serio
,, animum ad ſtudia & conſtanter adjiciant:
,, ſint in ſcholis mature frequentandis aſ-
,, ſidui, in audiendis & recolendis præle-
,, ctionibus, cæterisque obeundis exerci-
,, tiis diligentes. Quod ſi quid minus aſſe-
,, quantur, aut ſi quid dubitent, Magiſtrum
,, conſulant. X. In ſcholis ne hac illac diva-
,, gentur; ſed in ſuis quisque ſubſelliis locis-
,, que, modeſte ac ſilentio, ſibi ac rebus ſuis
,, intenti ſint; neque ſchola egrediantur, niſi
,, facta a Magiſtro exeundi poteſtate. Ne ſca-
,, mna, cathedram, ſellas, parietes, januas,
,, feneſtras, neque aliud quidpiam pingendo,
,, ſcribendo, ſcalpello, aliave ratione detur-
,, pent, ſeu notent. XI. Pravas aut etiam ſu-
,, ſpectas aliorum converſationes fugiant;
,, cum iis tantummodo verſentur, quorum
,, exem-

„exemplo & confuetudine in literarum „ftudio, virtutumque proficiant. XII. „A libris perniciofis & inutilibus legendis „abftineant. XIII. Neque ad publica „fpectacula, comœdias, ludos; neque „ad fupplicia reorum, nifi forte hæreti„corum, eant; neque perfonam ullam „in externorum fcenis agant, nifi data „prius a Magiftris vel a Præfecto Gymna„fii poteftate. XIV. Sincerum animum „purumque confervare, ac divinis legi„bus fumma diligentia obtemperare ni„tantur: Deo vero ac fanctiffimæ Virgi„ni Deiparæ, cæterisque fanctis, perfæ„pe atque ex animo fe commendent: „Angelorum opem affidue, præcipue ve„ro Angeli Cuftodis implorent. Mode„ftiam tum alibi femper, tum in templo „atque in fchola potiffimum fervent. XV. „In rebus denique, atque actionibus „omnibus ita fe gerant, ut facile quivis „intelligat, eos non minus virtutum, vitæ„que integritatis effe, quam literarum do„ctrinæque ftudiofos.„ Ut vero nihil intentatum relinqueret Societas, quo bonos mores & pietatem in fuperos (fortiffima literarum præfidia) tum in Gymnafiis tum in Academiis promoveret, in utrisque Congregationes feu fodalitates, quas vocant, Marianas erexit, in quibus fabbatinis vel Do-

Dominicis diebus Conventus instituuntur non solum ad excitandam in juvenum animis teneram erga Deiparentem devotionem, sed etiam ad vitæ vere Christianæ, ac rerum cœlestium principia & dogmata implantanda; quod institutum credi vix potest, quam potens sit juvenilis licentiæ frænum, estque a sede Apostolica amplissime confirmatum, multisque donis spiritualibus cumulatum, atque etiam a Maximis Principibus, qui ejusmodi sodalitiis nomina sua dant, eorumque membra esse non dedignantur, condecoratum. Patet igitur, quanta cura, quantoque studio & Conditores primi, & Majores Nostri literarum cum virtute consortium stabilire contenderint. Jam vero si tam sancte institutarum rerum disciplina negligatur, si vel Patrumfamilias vel Rectorum oscitantia juvenes Academici in media libertatis aura de nocte per plateas vagari, quærere latibula, frequentare domos, quorum Lares sunt Cupido & Venus: de die lusui, compotationi, otio, furtivis amoribus indulgere, verbo, saluberrima scholarum statuta impune transgredi permittantur (id quod sub prætexto tuendæ libertatis ac multiplicandæ gentis Academicæ, re ipsa turpis lucri, utpote quod e maleficio trahitur, cupiditate non raro

fit)

fit) ſi inquam iſta impune fieri permittantur, quantum non bonarum artium ac ſcientiarum ſtudio detrimentum inde enaſcitur? Juventutis Romæ luxus, & Athenis mollities, ubi cœpit invaleſcere, utriusque Reipublicæ ruinam poſt ſe traxit, & exauthorata rigida illa veteri diſciplina tum bellica fortitudo, tum literarum fama utrobique evanuit, atque barbaries ſucceſſit.



CAPUT IV.

INGENIORUM RATIO HABENDA IN ARTIBUS ET SCIENTIIS.

§. I.

Cultura Ingeniorum.

XXXII.

Ante omnia noſſe oportet, quid rei ſit ingenium, quod unum e præcipuis cœli donis eſt, & ſolius naturæ humanæ dos incomparabilis. Fuerunt, qui animum & ingenium eandem rem eſſe contenderunt; ſed hi procul a veritate aberrarunt.

rarunt. Est enim animus seu spiritus ille, qui animat corpus humanum, in omnibus æqualis, nec unus in parvo corpore minor, alter in magno major, neque perfectior in viro vel sene, quam in infante vel puero, uti melior docet Philosophia. Contra vero quis inficiari ausit, in uno homine majus residere, capacius, & sublimius ingenium, quam in altero? Eadem in Græcia fuerunt Bæoti Ætolique homines stupidi, & Athenienses omni scientiarum genere exculti: atque etiamnum famosus ille murus intercedit inter Tartaros gentem barbaram, & Chinenses nationem politissimam. Itaque animus est veluti officina, & ingenium est facultas hujus officinæ, seu indoles, qua aut facile aut difficulter artes ac scientiæ addiscuntur. Hæc autem indoles seu facultas plurimum pendet tum a structura cerebri, ejusque vasorum, per quæ spiritus animales ad id feruntur & libere commeant, tum a temperie vel intemperie humorum, quam *temperamentum* seu corporis *constitutionem* Medici vocant]; quamvis negari haud possit, non raro ab altiore principio hanc indolem repetendam esse. Certe experientia docet, e humili quoque casa, & sordido rure sublimia prodiisse ingenia, & ut Poeta canit:

Magnos

Magnos posse viros, & magna exempla daturos
Vervecum e patria, crassoque sub aere nasci.

Cætera ingens diversitas est ingeniorum non minus, quam facierum humanarum, in quibus tot inter myriades vix erit invenire omnia membra, lineamenta, proportionem ac symmetriam, ita conformata, ut nullum omnino discrimen unius ab altero deprehendi queat. Aristoteles (m) duplicis generis statuit ingenia: alia quæ a natura bene formata sunt, hæcque partitur in ἐυφυῆ seu vivida, & in στάσιμα seu stabilia: alia quæ male, in μανικὰ & in νωθρὰ, quibus nempe nimia vel mobilitas furorem, vel stabilitas stuporem inducit, illustratque rem exemplo: ita, inquit, Alcibiadis & Dionysii Majoris, hominum vivido prorsus ingenio præditorum, posteros in μανικοὺς seu furiosos, Socratis vero & Cimonis, Stoicorum fixa indole gaudentium, nepotes in νωθροὺς sive stupidos degenerasse. Ex hoc duplici genere oriuntur variæ ingeniorum species: quædam sunt *præcocia*, quæ solito citius velut propitio sole excoquuntur: quædam *serotina*, quæ tardis passibus ad maturitatem perveniunt: alia *felicia*, quæ sine

(m) *Lib. 2. Rhetor.*

sine magno labore adsequuntur quodvis literarum genus, cui serio se se adplicant. Tale ingenium in Poetica nactus est Ovidius, ut ipse fatetur:

Sponte veniunt ad carmina Musæ;
Quidquid conabar dicere versus erat.

Infelicia alia, quorum conatibus neutiquam respondet fructus, quæque semper contrarios in sua navigatione ventos experiuntur. De his Horatius (n):

Tu nihil invita dices facies ve Minerva.

Aliqua *velocia*, quæ moras non patiuntur, & celeri volatu ad sublimia tendunt: aliqua *tarda*, quæ numeratis passibus, & nonnisi de gradu ad gradum eundo ad disciplinæ alicujus limine perveniunt. Quædam demum *acuta*, quæ instar cunei ad interiorem penetrant scientiarum medullam: quædam *obtusa*, quæ repetitis etiam ictibus ultra corticem non pervadunt. Verum ne apices rerum potius, quam res ipsas sectari videar, ex his tam multiplicibus tres potissimum classes ingeniorum distinguo, ad quas reliqua omnia revocari facile possunt; quarum primam ingenia magna & sublimia, alteram mediocria, tertiam exigua & humilia constituunt.

(n) *De Art. Poetic.*

tuunt. De his antequam pluribus agam, in caussas hujus, quæ inter ingenia intercedit, diversitatis indagandum esse videtur. Plato tres præcipue assignat (o): *humanam* scilicet, *naturalem*, & *divinam*, ut ipse vocat, seu cœlestem. Ad *humanam* pertinet educatio, consuetudo, & lex. Videmus enim quotidie, eorum qui ruri nascuntur, ingenia rus olere, sylvestre aliquid & incultum præseferre, nec ultra stivam sapere: proles vero, quæ in nobilium parentum sinu educantur, etiam nobile quid spirare, atque ingenia polita, magnarumque rerum capacia secum circumferre. Magnam quoque vim exercet consuetudo, altera natura. Si pueri a teneris assuefiant parandæ rerum & caussarum cognitioni, exercendæ memoriæ, judicio quantulocunque demum de singulis formando, næ hi magnas cum tempore in sapientiæ studio progressiones promittunt. Si parentes industrii sunt, etiam filii non erunt segnes. Nam

A bove majori discit arare minor.

Quodsi demum bene morata, & legibus salutaribus munita sit civitas vel respublica, prodibit etiam bene morata, & quibusvis artibus atque scientiis addiscendis par

(o) *Dialog. 5. de Legibus.*

par juventus. Porro ad *naturalem* ingeniorum caussam refertur elementorum, alimentorum & totius temperamenti diversitas. Certe acuta & solertia fuerunt Atheniensibus ingenia; retusa vero & hebetiora Thebanis, quod discrimen scriptores aeri puro & tenui, quo gaudebat priorum patria, crasso autem & pingui, quo utebantur posteriores, adtribuerunt. Quod de elementis, idem dicendum de alimentis, utpote quæ ex elementis composita eorum quoque naturam induunt, ita ut alia calefaciant, alia refrigerent, humectent alia, alia exsiccent, atque ita diversis modis cerebrum ingenii sedem adficiant. Plurimum vero ad ingeniorum varietatem confert temperies vel intemperies humorum: apud quos sanguis dominatur præ reliquis, illi vivaces sunt, semperque excitati ad cogitandum, sed etiam instabiles: apud quos cholera, ii veloces & penetrantes in rimandis naturæ arcanis, sed simul audaces & animi perturbationibus obnoxii: apud quos phlegma, isti segnes & lenti: apud quos melancholia, hi tardi quidem sunt, sed etiam firmi & stabiles in suis opinionibus. Optimum communi fere suffragio ad ingenium & studia temperamentum esse censetur melancholico-sanguineum, ubi sanguis

 spi-

ſpiritus & vitam menti ſubminiſtrat, melancholia vero ingenium figit, & in ſuis operationibus ſtabile reddit. Tertia denique cauſſa, quam Plato pro ingeniorum diverſitate adſignat, *eſt divina* pendens a ſideribus, & ut ait, a poteſtatibus Angelorum, ſeu Geniorum. Quodſi Plato per hæc verba innuere duntaxat voluerit, ſidera vim quandam, quam *influxum* adpellant Philoſophi, ſicut in voluntatem & mores hominum, ita etiam in intellectum & ingenium exercere inclinando & excitando, nihil a veritate alienum dicere videtur. Novimus enim (ut de ſole tantum loquar, aſtrorum principe) novimus inquam, velociora eſſe ingenia vividioraque hominum illorum, qui calidioribus in regionibus, quæ ſolem in meridie plus vertici ſui incumbentem habent, naſcuntur: contra vero illorum, qui ſeptentrioni viciniores ſunt, aſpera & tarda. Rurſus nationes quæ plagas orientales incolunt, polito, miti ac placido, qui vero occidentales gravi & profundo ingenio pollere videmus, uti Sinenſes & Hiſpanos. Si vero intelligat, vim aliquam dominantem ac cogentem ineſſe aſtris, eorumque Rectoribus Angelis, (uti Veteres credebant) ita ut cuivis planetarum certa ingeniorum indoles reſpondeat, res eſt palam ſuperſtitio-

stitiosa, nec Platoni, quantumvis divino, hac in re adsentiendum est, sed potius Augustino, aperte hoc falsum esse demonstranti in Jacob & Esau, qui tam diversi erant genii ac ingenii, licet sub iisdem sideribus, eodemque temporis quasi momento nati sint.

Jam vero, quum adeo varia sint pro caussarum, locorum, & temporum varietate ingenia, nec plerumque eorum conditio & habitudo frontibus inscripta circumferatur, sed non raro intimis in penetralibus abscondita lateat, idcirco sapientum omnium, qui juvenum institutioni operam dabant, prima semper & præcipua cura fuit explorandi eorum ingenia, & ad lydium lapidem probandi. Profecto *eminentissimum supra reliquos magistratum esse instituendum* Plato (o) existimavit, *ad quem ingenia examinanda* (*præsertim puerorum & adolescentum*) *adducerentur.* Immo Aristoteles non magnum duntaxat, sed totum Reipublicæ bonum in hac re positum esse asseruit. Quod verbis commendebant, id etiam factis comprobarunt Veteres Philosophi. Quippe priusquam discipulos in scholas suas, atque ad altiores disciplinas admitterent adolescentes, quam di-

(p) *Lib.* I. *de Republ.*

diligentissime severissimeque eorum ingenia velut in statera appendebant, perspecturi an debitum ad eas probe capiendas pondus adferrent. Pythagoræ solemne fuit, experimentum sumere de tyronibus, tum arithmeticæ plena cognitione, tum indicto per quinquennium silentio, quibus in rebus si satisfecissent, tum demum eos discipulorum catalogo adscripsit. Plato nullum in suam scholam recepit, si non prius in Mathematicæ elementis, quæ ingenii monstrant acumen, probe versatus fuisset. Socrates illos, qui ad se a parentibus vel cognatis adducebantur, suoque magisterio concrediti fuerunt, multis ac variis quæstionibus urgebat, ut ex responsis indolem cognosceret. Unde nota ejusdem gnome: *Adolescens loquere, ut te videam.* Illud præ cæteris ingenii probandi specimen, uti ex re nata & incogitatum, ita satis illustre fuit, quod Democritus Philosophus edidisse scribitur a Laertio (q). Ei forte fortuna obviam factus est Protagoras Abderites, puer etiamnum, qui ligna in fascem satis magnum scite composita, & geometrica quadam ratione librata humeris alacer gestabat, ac si omnis expers oneris foret. Admiratus pueri dexteritatem Sophus fascem solvere, ac denuo com-

(q) *Lib.* IX. *c.* 7.

componere jussit; quod quum Protagoras nihil cunctatus pari facilitate fecisset: *heus adolescens*, inquiebat Democritus, *quum ingenio valeas, me sequere, ut majora melioraque addiscas.* Atque hanc sane maximam in discipulorum auditorumque suorum delectu faciendo, explorandoque eorum ingenia curam, ut dixi, habuere Veteres, quæ si etiam nostris, ut fieri deberet, temporibus adhiberetur, nescio sane, an non variis in locis Gymnasiorum & Academiarum angustiores forent portæ, nec atria tam ampla: & exercitus decimatis legionibus ac remotis impedimentis contractior adpareret, imminuto quidem numero, sed aucto robore. Sunt quidem, qui Gymnasia & Academias fluminibus ac fontibus comparant, quorum aquæ sunt communes: unde cum Nasone conqueruntur:

Quid probibetis aquas? usus communis aquarum est.

Sed non advertunt ad necessitatem ineluctabilem, quæ communes facit fluminum ac fontium aquas, utpote e quibus non solum hominibus, sed & asinis ac bobus, & hircis potus quotidianus subministrari debet. Malim ego aptius atque honestius publicas scholas & Athenæa comparare cum templis & aris, ad quæ non omni-

bus patet aditus. Nam quemadmodum Ecclesia ab aris omnes fœminas, & mares etiam quosdam abstinere jubet, quos animi vel corporis vitium, aut commissum crimen altaris ministerio sive indignos, sive ut loquuntur SS. Canones *irregulares* facit, ita a sapientiæ templo velut profani arcendi sunt aliqui, quibus natura noverca ingenium, & honeste se sustentandi facultatem negavit, aut qui pravis moribus bonæ juventutis educationi, scholarumque famæ obesse possunt. Quapropter ut paucis dicam, neutiquam induci expedit in Gymnasia & Academias velut in campos Elysios, nisi quos Æacus, Minos, & Rhadamanthus, id est, plurium Doctorum haud suspectum judicium prius probe excusserit. Sed quod dolendum, hanc seu legem, seu utilissimum reipublicæ consilium non raro vel parentum, qui liberos suos e truncis Mercurios sculpi volunt, importunæ & vix non armatæ preces, vel Procerum patrocinia inconsulta evertunt, ut Magistris & Rectoribns non liceat, quod decet ac prodest.

XXXIII.

Stabilita semel ingeniorum explorandorum necessitate, ac delectus faciendi utilitate, geminæ ulterius magni momenti quæ-

quæstiones occurrunt, quæ ad curam ingeniorum practicam pertinent. Prima est, quænam huic vel illi disciplinæ apta sint, & veluti ab ipsa natura rite accommodata? qua in re mihi multum probatur Joannis Huartes sententia, quam in libro de ingeniorum examine (r) pluribus exponit, licet in aliis quibusdam non parum hallucinetur, uti dum naturæ leges præscribere, & satis heteroclite multis ostendere conatur, qua ratione parentes liberos sapientes ac ingeniosos procreare possint. Igitur eos, qui memoria valent, Grammaticæ, Arithmeticæ, historiæ, studio legum theorico ac Theologiæ *positivæ* non parum idoneos esse pronunciat; cujus rei ratio mihi esse videtur, quod hæ disciplinæ præ cæteris tenacem, fidelem, ac promptam ad præcepta & leges, ad numeros, ad sententias S. Scripturæ ac Patrum, ad majorum facta memoriam requirunt. Illis vero, qui intellectu præstant, Dialecticam, Philosophiam naturalem ac moralem, Jurisprudentiam practicam, Astronomiam, Medicinam theoricam, & Theologiam speculativam convenire censet. Nam hæ scientiæ aciem ingenii penetrantem, subtiles ratiocinationes, ac maturum judicium exigunt. Qui vero

(r) *Cap.* 8.

vero recte cogitandi virtute ac bonas ideas formandi pollent, hos in omnibus illis artibus & scientiis, quæ ad figuras, ad symmetriam & proportionem, ad harmoniam spectant, ut est Poesis, Eloquentia, Musica, Medicina practica, Mathesis, reipublicæ administratio, ars pingendi, ars militaris &c. multum profecturos esse existimat, nec absque caussa ut opinor, quoniam in cunctis istis forti, clara, & nobili quadam imaginandi vi opus est, simul ac habilitate viva & splendida, rerum animo conceptarum imagines tum verbis tum scriptis exprimendi. Hæc ex Huarte eo libentius adtuli, quo plus luminis subministrant cuivis de suo studiorum cursu recte instituendo, videlicet, ut præ reliquis illi disciplinarum generi animum suum toto conatu adplicet, ad quod sufficientibus, aut omnino præclaris ingenii facultatibus, & dotibus eidem scientiæ propriis (seu sint memoriæ seu intellectus seu imaginationis) a natura ejusque Auctore instructum se se agnoscit. Nihilominus fatendum est, paucos esse ea solertia, ut ingenii sui indolem veluti venando deprehendere possint, aut certe serius, quam oportet, postquam scilicet bona vel melior juventutis pars studiis transacta jam est, & maturior ætas successit. Dein ob-

stat

ſtat plerumque φιλαυτία ſeu inſita quædam de rebus noſtris blandiens opinio, quæ mentis lumen ad rectum judicium de nobis ipſis ferendum obſcurat, vel omnino extinguit. Præſtat igitur id fieri a bonis ac expertis Magiſtris ſub ipſam ſtatim adoleſcentiam, & primam ſtudiorum auroram; cujus rei variæ viæ ſunt, quibus ingeniorum virtus & facultates explorari poſſunt: univerſim illud ſtatuere licet, indicia eſſe magnæ ad literas capacitatis, magnique cum tempore profectus: 1. *facile percipere quæ traduntur.* 2. *fideliter illa retinere.* 3. *feliciter eadem imitari.* Altera quæſtio eſt, qua ratione tractanda ſint ingenia, poſtquam eorum virtus & valor ſatis exploratus perſpectusque habetur. Dixi, univerſe tres eſſe ingeniorum claſſes, quædam magna & ſublimia, quædam mediocria, alia exigua & humilia. De ultima claſſe res paucis abſolvi poteſt: nimirum ii, quibus hebes ingenium eſt, & ex horreo nil niſi ſtramen prominet, vel non ſunt admittendi, vel poſt aliquot conatus fruſtra adhibitos arcendi tanquam fuci ab apiario ſcientiarum, aut a ſacris vulgus profanum. Si enim diutius in ſcholis tempus terere permittantur, fit, ut neque ſtudiis neque opificiis amplius apti ſint: otioſæ vitæ adſue-

adſueſcant, atque ita reipublicæ prorſus inutiles, quin & noxii evadant. Quodſi nobilitas obſtet, quo minus mechanicis artibus admoveantur, curandum eſt, ut aſſiduitate laboris tenuem ſaltem & hiſtoricam ſcientiarum notitiam ſibi comparent, & quod præcipuum eſt, ingenii & doctrinæ inopiam vitæ ac morum honeſtate compenſare ſtudeant. Sic enim ſi non publicum bonum, ad minus privatum fructu ab his proveniente non carebit. Errant non raro parentes, ac pædagogi, qui vi ac verberibus extundere volunt profectum, quaſi ſegetem repugnante ſolo ſunt ejusmodi ingenia commiſeratione potius digna, quam indignatione. Novimus quantam diligentiam, quantas curas Cicero impenderit ad imbuendum in ſcientiis Marcum filium; ſed fruſtra. Fuit quidem Marcus Tullii filius, ſed non hæres ingenii ac ſapientiæ. Majoris moliminis res eſt, magna & ſublimia ingenia excolere, utpote in quibus elaborandis jam ipſa natura omnem contuliſſe operam videri poteſt. Non autem heic mihi ſermo eſt de iis ingeniis, quæ communis hominum conditionis limites transgrediuntur, & nonniſi poſt ſecula aliquot in orbe literato, velut in cælo novæ ſtellæ comparent: quale erat D. Auguſtino, vaſtiſſimo

mo illi scientiarum omnium Oceano, & Pico Comiti Mirandulano, quem naturæ miraculum dixere: neque de illis, quæ divino magisterio per ardentissimas preces solicitato potius, quam humano fuerunt erudita, quemadmodum de Salomone, de S. Thoma Doctore Angelico, & de Doctore Eximio Francisco Suarez legitur; de his inquam & similibus, si quæ sunt, ingeniis mihi sermo non est. Nam

Igneus est illis vigor, & cælestis origo.

Hæc relinquenda sunt spiritui, quo intus aguntur, & nonnisi ad excelsos volatus continuo impelluntur. Sunt alia ingenia quæ dixi, magna & sublimia, quibus præstans memoriæ vis, celeritas cogitandi, sagacitas inveniendi, facilitas sensa sua promendi, & quidam fulgor uti genuinis adamantibus inest. Quantumvis autem sint felicia, opus tamen habent quadam cultura, ne extra orbitam saltent, sed intra certos limites consistere adsuescant. Agri enim quo fœcundiores sunt, eo pejores germinant frutices, si sibi relicti cultura destituantur, aut non purgentur. Hinc Demetrius Phalareus teste Laertio (s) dicere solebat. *Hominum fastuosorum amputandam sublimitatem, sed relinquendam sobrietatem.* Ad-

(s) *Lib.* 5. *cap.* 5.

Admonendi ſunt hi, atque urgendi, ut non ſe totos, ſuaque omnia confidant ingenio: ut a libris probatis ac magiſtris doctis leges & præcepta diſciplinarum diligenter ac libenter excipiant, neque in ſua ſtudiorum ratione exleges eſſe velint: ut certum ordinem ac ſtatum tempus ſtudendi obſervent, nec promiſcue legant libros, aut ſcribant ſolo mentis impetu ducti; ut & bene prius expendant, quæ lucubrant, & poſtea ad limam vocent, ut feciſſe fertur Maro (ingenium utique ſublime) qui uno calore quinquaginta verſus profundere novit, ſed ex his vix decem retinuit. Hæc de ſublimibus ingeniis: ex quibus ſimul patet, iſta plerumque non tam cultura, quam freno indigere. Nam ut Tullius prodit (t), Iſocrates de duobus Auditoribus ſuis Theopompo & Ephoro, quorum prior erat acerrimi ingenii, alter lenis & tardi, dicere ſolebat: *ſe Ephoro calcaria adhibere, Theopompo autem frenos.*

Venio nunc ad mediam claſſem, ſeu ad ingenia mediocria, per quæ non intelligo ea, quæ natura novercam ſe præbente talia ſunt, ut ad nihil grande ac præclarum in artibus & ſcientiis exurgere valeant, ſed intra mediocritatis limites ſemper

per

(t) *De Clar. Orator.*

per hærere cogantur. Absit; sed illa intelligo, quæ non quidem suapte indole sunt excelsa, bona tamen memoria, nec modica cogitandi virtute, mediocri sagacitate ac vi penetrandi prædita, quæque accedente multa sedulitate, ac constanti cultura eo promoveri possunt, ut cuivis disciplinæ cum laude, atque etiam cum plausu addiscendæ tractandæque paria sint. Horum quum numerus sit ingens, valde exiguus autem sublimium, maxime ratio priorum habenda est. Habent sane ingenia magnam cum agris analogiam, uti pridem observavit Clemens Alexandrinus, qui ea *agros animatos* adpellare non dubitavit, iisdemque fatis & vicissitudinibus obnoxia esse ostendit. In quibusdam terra fertilis est ac felix solum, pronumque ad fruges ferendas, absque cultura operosiore; in aliis vero non ita fæcunda tellus est, sed sterilior. Quodsi tamen assiduus labor accedat, subigendo terram, stercorando, arando, occando, eradicando zizania, plerumque uberior messis suo tempore colligitur e posterioribus, quam e primis, ipso soli ingenio industriæ expensas cum fœnore velut reddente: porro humani ingenii proportio ad scientiam aliquam est eadem, quæ telluris ad semen; non enim universim æqualis

lis

lis eſt, & quamvis aliqua pinguis ſit ac fertilis, excolenda tamen eſt, ac diſpiciendum, cuinam ſemini ſit aptior: denique tempus quoque idoneum ſationi exſpectandum, immo ſemen enatum expurgandum, nullique labori parcendum, donec matureſcat. Atque hæc fiunt quot annis a privatis hominibus lucri ac neceſſitatis gratia: cur non etiam boni publici gratia idem fiat cum ingeniis? Adjuvanda ſunt a Præceptoribus, Magiſtris & Parentibus hæc ingenia nunc animando, nunc ſtimulando, atque ab uno ad alterum gradum promovendo, quum vel maxime in ſcientiarum & artium cultura verum ſit, *feſtinando lente* denique ad metam perveniri. Horum ingeniorum a pueritia tractandorum elegantem modulum ſuggerit Franciſcus Wagnerus S. J. in ſuo libello, quem inſcripſit *Crito*: „Ubi, ait, ſe explicare cœpit ratio, pri„mam auroram occupent literæ. Nar„rentur fabulæ, ad quas erecta ſtet inno„cens & utilis curioſitas. Stimulentur „juvenes laude: adplaudatur ipſis, ſi re„cte quid diſcant: in ſcholas mittantur, „& omnis cura adhibeatur, ut nihil cu„rent, præter literas & mores: pædago„gus bonus conſtituatur: non mittantur „in ſcholas tantum, ut domi quieta ſint „omnia,

„ omnia, & post aliquod tempus despon-
„ sentur amasiis, cum quibus operam
„ dent liberis &c. „ Quod autem praecipuum, in quo Praeceptoris ac Magistri sollicitudo versari debet circa ejusmodi ingenia, est ut in lectione, scriptione, ac exercitatione animi constantia excitetur, constantia foveatur, constantia roboretur, utpote qua praesentes & futuras difficultates vinci necesse est. Sunt quaedam juvenum ingenia celeria & agilia: in omnem partem scintillant, & acumen non modicum produnt, quin & sales ac lepores spargere norunt. Haec sunt ingenia, de quibus initio dixi, praecocia: sed rara est in illis constantia, nec quidquam aestimandum, nisi quod primo calore effunditur; id enim ingenium redolet. Caetera in quibus paullo major industria & labor requiritur, omnia languent, nec quidquam vitae vel spiritus sentitur: dum contra ingenia tardiora quidem, sed quae rebus semel coeptis pertinacius immorantur, maxime si sagacitas quaedam animi consociata sit, priorum celeritatem facile antevertunt. Atque haec ingenia, si constantia, de qua dixi, accesserit, id est, assiduitas & exercitatio, profunda scientiarum & artium penetrare solent, & in civilibus quoque non sine consilio ac prudentia res ma-

ximas exantlare norunt, verbo, in omni doctrina palmam ferunt. Habemus illustria veritatis hujus exempla: Cleantes tardissimo erat ingenio præditus, quod tamen industria ac studio longo ita subegit, ut inter primos Græciæ Philosophos haberetur, dictus propterea *alter Hercules sapientiæ*. Non minus Demosthenes & pronunciandi difficultate & cogitandi cunctatione laborabat, gemino vitio Oratori sane fatali. Vicit tamen utrumque improbo labore, omnibusque Græciæ Oratoribus palmam præripuit. M. Cato perpetua exercitatione ita ingenium suum paullo asperius excoluit, *ut* Livio teste (u) *si arma sumpsisset, natum in armis crederes; si se ad studia convertit, inter literas educatum.* Divo Thomæ initio ingenium adeo hebes & ad studia ineptum esse videbatur, ut *Bovem* adpellarent Socii, sed postea, ut Albertus M. ejus præceptor prædixit, ad Bovis hujus clamorem, id est, doctrinam totus mundus obstupuit. Memoratu dignum est, quod de Baldo produnt scriptores, scilicet eum ætate jam provecta & inclinante ad Juris studium se se accinxisse; quapropter non deerant, qui falso eum convicio impeterent: *Sero nimis*, inquiebant, *ad hæc stu-*

(u) *Decad. 4. lib. 1.*

studia venis o Balde: sic nonnisi causarum in orbe altero eris patronus. Sed nihil his territus in opere suscepto perrexit Baldus, & ita profecit, ut tanquam Juris Oraculum anteactis temporibus celebraretur. Neque silentio prætereundus S. Ignatius Lojola, qui jam grandævus addiscendis inter pueros linguæ latinæ elementis martios spiritus impendit, non tam eo consilio, ut sibi scientias & humaniores & severiores compararet, quam ut tot Collegiis & Seminariis, ubi omnis generis artes & scientiæ cum insigni emolumento docentur, ostium aperiret.

§. II.

Moderamen Ingeniorum.

XXXIV.

Non modica est disceptatio inter Politices peritos, an regimen Reipublicæ, ubi liber est populus, an vero Imperium præstet, ubi supremo Moderatori populus servire cogitur. Multis præplacet libertas, pro qua tanquam pro aris & focis pugnant: aliis non displicet servitus, in qua si sapientem ut decet Gubarnatorem nanciscuntur, subditi magna fruuntur pace ac tranquillitate. Nolim ego hanc litem vel ingredi vel decidere. De regno

literario illud pronunciare ausim, ingeniorum libertatem ei magis esse noxiam, quam servitutem. Libera quidem nascuntur hominum ingenia; etiam artes & scientiæ velut mare liberum sunt, per quod navigare ac mercimonium exercere cuivis impune licet: nihilominus moderatione opus est, ne in syrtes & scopulos impingant, & quo majora sunt ingenia, tanto graviora damna & sibi & reipublicæ inferant. Inprimis igitur ejusmodi, quamvis acie ingenii præstent, caveant magnopere, ne se immisceant illis, quæ fori sui non sunt, & de omnibus disciplinis, quarum multis nunquam, aut non serio studuerunt, judicium ferant, ac Dictatoris potestatem in eas sibi arrogent, pronunciantes audacter, omnia perperam agi, & despicientes cuncta, quæ sibi non probantur. Non paucos hoc ævo est reperire, qui post emensum magna cum festinatione Philosophiæ, ac Jurisprudentiæ, aut Theologiæ curriculum, vix adhuc prima lanugine tecti, vel Parentum importuna solicitatione, vel Patronorum ope, non raro pecuniis empta, in reipublicæ seu sacræ seu profanæ munera involant, acceduntque tanta doctrinæ ac prudentiæ suæ opinione armati, quanta vix Nestores aut Agamemnones. Heic nova cudunt

rerum

rerum gerendarum systemata, seniorum consilia spernunt, & Veterum principia, statuta, & mores magno judicio introductos susdeque vertunt cum maximo boni publici damno: verbo, soli sapere volunt. Hi si serius accessissent, solidioreque doctrina instructi, ad curias & negotia Viris exantlanda, puderet ipsos temeritatis suæ: respublica vero & religio grandi periculo liberaretur. Maxime vero in id incumbant, ne profanas manus injiciant in res sacras, in Traditiones antiquissimas, in ritus, ceremonias, Sanctorum cultum, & Ecclesiæ disciplinam. Multis & se & alios periculosis disceptationibus non sine piarum mentium offensione involvunt magna hæc cæteroqui ingenia. Credi vix potest, quo audaciæ deducat ingenii sublimitas, si fræno careat. Certe Alphonsus Rex Castiliæ insigni illa, quam nactus est, Astronomiæ scientia atque peritia inflatus in impias voces prorupisse auditus est: *Se si mundo condendo præsens fuisset, multa melius ac emendatius fuisse facturum.* Est & aliud vitium, cui non raro magna ingenia sunt obnoxia, scilicet pertinacia opinionum, quibus semel vel imbuti fuerunt percepta Magistrorum suorum doctrina, vel proprio studio, & primis quas conceperunt

ideis altius impreſſis ſe ipſos imbuerunt. Hi omnes idem ſentire, idem probare pro imperio volunt, quod ipſi ſentiunt, quodve probant. Nihil in Dialectica, in Phyſica, in Jurisprudentia, in Theologia recte geri credunt, aut aliam veram, immo ne quidem probabilem eſſe ſententiam, præter ſuam ſuorumque Magiſtrorum. In horum, ſuaque verba jurare cunctos jubent; quod ni faciant, velut lepra infectos e ſynagoga & caſtris ejiciunt. Duplex autem eſt hominum iſtorum genus: alii, qui novitatem omnem aſpernantur, adeo pertinaciter veteribus adhærentes, ut ſi in aliquid neotericum forte incidant, extemplo metuant cum Judæis, ne contaminentur & immundi fiant. Non ſolum examinandis ejusmodi mercibus ex orbe novo advectis operam dare recuſant, ſed ne quidem de illis audire aliquid ſuſtinent: Nimirum quia, uti cecinit Flaccus (x).

Nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt,
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, ſenes perdenda fateri.

Ita

(x) *Libr. 2. Epiſt. 1.*

Ita quidquid in Philosophia vel Theologia pronunciatur, quod ipsi non didicerunt aut docuerunt, continuo hæresis est, & gravissima censura ob levissimas, quæ pro adversa parte occurrunt, rationes impingitur. Recte ait Melchior Canus, Vir Doctissimus, Ord. Præd. (y): *Quo loco saze arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in schola acceperunt, præjudiciis Viros alios Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate: ut merito rideantur. Nobis autem schola nostra magnam quidem licentiam dat, ut quodcunque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere: sed non licet tamen eos, qui nobis sunt adversi, temere ac leviter condemnare . . . Non enim si quid aut Scotisticis, aut Thomisticis pronunciatis contrarium est, error ilico est.* Contra sunt alii, qui sub signis Recentiorum militant, quique dum Veteres ne de nomine quidem norunt, forte etiam non intellecturi, si eos propius accederent, grandi supercilio spernunt, atque rejiciunt omnes opiniones, quæ vetustatem sapiunt. His caput plenum est novis rerum ideis, nec ullus auctor nec ulla placet sententia, si non novitatis aliquid secum adferat. Exspectant impatien-

(y) *Loc. Theol. l.* 8. *c.* 4.

tienter, uti negotiatores obambulantes continuo portum, donec naves mercibus peregrinis onustæ adpellant, ut istis non solum ipsi splendide incedant, sed & aliis eas venum exponant, non utilitati aut bono publico, sed cupiditati ac voluptati servituras. Utraque hæc ingenia indigent moderatione non exigua, tum ne veterum nimis pertinaci studio jacturam fiant tot rerum ad bonas artes ac scientias spectantium, posterioribus hisce seculis præclare vel inventarum vel excultarum: tum ne præpostero novitatum amore abrepti, quam adeo quærunt, doctrinæ ac eruditionis laudem & famam pessumdent, simulque se & alios in graves sane circa res religionis & morum errores præcipitent. Universim vero probe perpendant isti, quanto se fructu disciplinarum fraudent, qui turpi mancipatu semper aliis credunt, & ex aliorum ore ac judicio pendent, nunquam vero ad se ipsos revertuntur, nec se in consilium vocant, ut examinent, cujusmodi sint, quæ tanta cura addiscunt.

XXXV.

Ab hoc pertinaciæ vitio non procul distat aliud, nempe audaciæ, quo laborant, qui nimium sibi atque ingenio suo præfiden-

dentes immoderate disputationibus indulgent, ad contradicendum semper proni, ac nulli in opinionibus semel imbibitis ac præjudicatis cedere, obsistere omnibus parati. Est equidem pulcherrimum ac utilissimum disputationum, præsertim publicarum, institutum, eo consilio in Academias & Gymnasia introductum, & per omnes fere scientiarum sublimiorum disciplinas diffusum, ut in juvenibus vigor animi excitetur, ne languescat aut omnino torpeat, atque ut ad studia eo alacriores attentioresque reddantur, quo sæpius cum adversa parte ipsis congrediendum est, vel ut vincant, vel ut vincantur. Accedit ea quoque utilitas, ut altius tum animo infigant, tum rimentur ea, quæ a Magistris suis tradita acceperunt, quin & judicium ferre possint ex hoc ipso contrariarum opinionum æstu atque conflictu, cujusnam Magistri doctrina proxime ad veritatem accedat. Hæc disputationum instituendarum occasio fuit, hic fructus pro juventute scholastica amplissimus. At inter viros ætate provectiores, & qui cathedris præsident, aut scholam moderantur, non tam disputatio, quam sententiarum & rationum collatio in usu erat, non ad victoriam reportandam, sed ad veritatem eruendam intenta. Ve-

rum posterioribus, quibus speculandi mos plus æquo invaluit, temporibus, Juvenum calor & furor quidam etiam in Virorum pectora se se transfudit, ita ut quo clamosior esset, eo solemnior haberetur disputatio, nec jam de veritate invenienda, sed de opinione semel suscepta pertinaciter tuenda ageretur, & victoria stare crederetur penes illum, qui majore cum strepitu acie excellisset. Quod autem dolendum magis, non raro ob quæstiones levissimi momenti ingens bellum inter Doctores exardescit, & pro aliqua opinione recens in cerebro nata tanquam pro patria, proque aris & focis pugnatur: quin etiam subinde clamoribus se se immiscent cavilli ac dicteria, & adversæ sententiæ graves censuræ non sine charitatis læsione, contra quam monet D. Augustinus (z): *Non intratur in veritatem, nisi per charitatem.* Profecto videmus sæpe citius Reges post mutuas ingentes clades in gratiam redire, quam ejusmodi Doctores post simultates semel circa opinionem aliquam susceptas. Multum tamen hos æstus mitigasse videtur in bene moratis scholis cultior ætas nostra, quæ nimiis & inutilibus quas vocant speculationibus columnas posuit, quibus non plus ultra. Et vero

(z) *Lib.* 32. *contra Faustum c.* 8.

ro dum de speculationibus sermo incidit, hac ipsa in re magnis ingeniis moderamine opus est. Audire juvat gravissimum Antonii Possevini, Viri tam docti quam eruditi judicium: „Sciant, ait (a) qui „solum speculatione pascunt intellectum, „aut sine hac memoriæ tantum mandant, „quæ audiunt & legunt; aut intellectu „& memoria posthabitis unam ipsam vo„luntatem specie pietatis quadam adfe„runt ad disciplinas, hos absoluto studio„rum curriculo non admodum utiles esse „futuros. Nam vel docere alios nescient, „aut cum avocabuntur a libris, in cœlo„ne (ut ajunt) an in terris consistant, „ignorabunt: vel occasione studiorum „& speculationis vix fructum aliquem „ferent, ob quem scientiæ ipse compa„rantur. „ Quid jam de libris, eorumque scribendorum seu facilitate seu aviditate dicam? Si labor iste vel urgente necessitate ad veram fidem explanandam, ad tuendam sanam doctrinam, ad famam defendendam; vel suadente utilitate satis manifesta boni publici, ac rei literariæ, vel quandoque etiam illustrandæ antiquitatis caussa suscipiatur, nihil dicendum mihi esse video: immo & laudandæ sunt hujusmodi scriptiones, si cum dignitate fiant.

(a) *Lib.* I. *Biblioth. Select. cap.* 6.

fiant. Contra vero vituperandus eſt, aut certe moderandus immanis ille ſcribendi pruritus, qui ſeculum noſtrum invaſit, de quo Satyricus intelligi poteſt, dum ait:

Scribimus indocti doctique poemata paſſim.

& alius:

Tenet inſanabile multos
Scribendi cacoethes &c.

Vituperandus inquam eſt pruritus ille, dum ſcribitur ſolum, ut ſcribatur; nec cordi habetur, quid & quomodo, quam bene, quam ſobrie, quam juſte ſcribatur. Sane ſi a non paucis cauſſam ſcribendi ſciſcitaremur, aliud forte non obtineremus reſponſum, quam illud Pilati: *Quod ſcripſi, ſcripſi:* His ſufficit, nomen ſuum legi magnis characteribus in libri fronte ſcriptum, quamvis ipſum librum multi alii ſcriptores merito vendicare ſibi poſſent. Sed hi forte commiſeratione digni ſunt, utpote quos egeſtas loculorum ſimul & ingenii premit. Alii ſpecioſo Antiquariorum titulo libris ſuis præfixo multis imponunt: & re ipſa eo jam ventum eſt neſcio dicam curioſitatis, an dementiæ, ut niſi pes aliquis, manus, aut caput, caſſis, balteus, haſta, vel lapidum ſepulchralium, urnarum, ido-

idolorum frusta æri incisa, & multis divinationibus circumscripta in libro aliquo inveniantur, iste tanquam recens vinum non sapiat, & nihil dignum erudito hoc seculo & antiquitatis studioso reperiri in eo audacter pronuncietur. Si meam hac in re opinionem proferre liceat, hujusmodi scriptionis genus non solum non vituperatione, sed etiam laude dignum esse censeo, si tale sit, ut ad insignem eruditionem, ad veritatem historiæ eruendam, ad illustrandam rem magni momenti, ad magnificentiam regni, reipublicæ, urbis, antiquæ stirpis &c. ostendendam multum lucis adferat, quemadmodum eo usi sunt & utuntur præclarissimi Viri; Papeprochius ejusque Contribules ad Acta sanctorum, Mabillonius ad Monachorum, institutum, Lipsius ad res Romanas, Calmet ad S. Scripturam, Kircherus & Schottus ad naturæ arcana, Maffeius, Muratorius, Montfaucon, Harduinus, & novissime P. Zacharia S. J. ad omne genus literaturæ, Bianchinus ad Romam illustrandam &c.

Quodsi vero, ut hodie non pauci faciunt, de rebus nauci & flocci, de pedis alicujus planta vel digito e terra eruto, de exesis aliquot characteribus, multa præfando, pauca eruditionis vestigia

ſtigia: relinquendo nonniſi ad vanam oſtentationem, & famam literati hominis aucupandam iſta fiant, vix ad aliud ſerviunt, quam ad tempus, quod longe utilius impendi & poterat, & forte debebat, curioſis lectoribus eripiendum, ad impenſas magnas in ejusmodi libros imaginibus æri inciſis bene fartos faciendas, ad vere doctorum & eruditorum hominum indignationem excitandam. Verum levia hæc videri poſſunt; magis nociva eſt inſolens illa ſcribendi ratio, quæ hoc ævo, quod politiſſimum eſſe volunt, multum invaluit, dum qui ingenio, calamo, ſtiloque valere ſe aliquid exiſtimant, ſubito in aciem progrediuntur, & ſi hoſtem non inveniant, ipſi faciunt: nimirum aggrediuntur antiquos ac ſæpe præſtantes ſcriptores ſpecie veritatis detegendæ, ac temere arguunt fabularum, falſitatum, ignorantiæ: in veteres Philoſophos, Jurisconſultos, Theologos, quin & omni veneratione digniſſimos Patres debacchantur tanquam homines & male credulos, & ſubleſtæ fidei, criticæque artis prorſus expertes: neque ipſis Sanctis parcent, quorum aliquos ad aras antiquiſſimis jam temporibus pia voce populi promotos ex illis deturbare ſuo quidem ſuffragio conantur:

tur: devotas sanctasque fidelium & Ecclesiæ consuetudines tanquam meras superstitiones traducunt, irrident: quidquid scriptorum & librorum obviam fit, canum instar adlatrant, & veterum gladiatorum more in arena literaria comparent, ut mutuis in se ipsos quoque vulneribus sævientes populi plausum & eruditionis famam referant. Nec satis: honestissimorum Virorum doctrinam, libros, famam, ac pene vitam aggrediuntur, & calumniis, dicteriis, scommatibus, impositis falsis criminibus fœdum in modum lacerant atque conculcant, quo elegantiore non raro dictione, eo crudeliore vulnere. Quippe omnes sermonis divitiæ ac ingenii facultates in id impenduntur, ut gravissima quæque convicia, atque mendacia splendidissime vestita compareant. Omnem vero modum excedit, quod ejuscemodi, de quibus postremo loco dixi, scriptores Supremis Principibus libros suos felle ac discordia plenos audeant D. D. D. ut horum auctoritate in ipsa orbis & Ecclesiæ facie maleficium & protegatur, & latius propagetur. Recentissima habemus exempla: Sed

Tange montes, & fumigabunt.

Heic

Heic vel maxime ingeniorum moderamen necessarium foret, quin & publica castigatio, ne impune talia fiant, quæ contra naturæ ac gentium, humana divinaque jura fiunt. Prudentes ac Christiani scriptores imitari apes debent, quæ aculeum quidem secum circumferunt, ubi opus est defensione, exerendum; interea mel sugunt, & ad hominum utilitatem favum construunt: non autem fucos, qui continuo strident, mordent, aculeum figunt, & nihil emolumenti publicæ rei præstant, sed potius eam perturbant. Quæstionem movit nonmemo, quæ prima fronte paradoxa videri posset, nescio tamen, an omnino a moribus nostris abludentem: nimirum an typographia inventa plus commodi, quam damni humano generi adferat? Si commodum spectemus, profecto eximium illud est, quum tot libri doctissimi, & ingeniorum partus, qui alias per paucorum manus circuibant, velut publici juris per omnem orbem fiunt: At si animum convertamus ad tot quoque libros, non dico inutiles & nullius frugi, sed hæresi infectos, venerem olentes, prava propinantes morum principia, falsa spargentes dogmata, satyris, calumniis & mendaciis, queis aliena fama gra-

graviſſime læditur, plenos: Eccleſiæ, Sanctis, ipſique Deo injurios, (qualia mala ante typographiam inventam intra limites unius ſolum civitatis aut provinciæ latebant, nunc autem quaquaverſum per omnes orbis partes ope typi graſſantur) quæ olim heteroclita quæſtio eſſe adparebat, hoc ævo propter ſcribendi pruritum, & in ſcribendo intemperantiam ac libertatem omnis moderaminis impatientem in problema tranſire videtur.

XXXVI.

Unum adhuc ſupereſt, quod tam ad ingeniorum culturam, quam ad eorum moderamen plurimum confert, immo quo deficiente pronum eſt, ut absque fructu optato, quin & cum damno ſæpe gravi juvenum ingenia per artes & ſcientias evagentur: contra vero hoc ſi adſit, intra limites conſtituta ſecure pergent, conceptasque ſpes de inſigni profectu facile implebunt, ut experientia docet. Eſt autem hoc recta in ſtudiis ratio & methodus, ſine qua ſcientiarum candidato idem contingit, quod viatori, qui relicta via regia dum hac & illac itineris compendium itentidem quærit, demum in avia & devia delabitur, ita ut vel nunquam, vel nonniſi poſt innumeras ambages ac grande

temporis dispendium ad viæ terminum pertingat. Sed magnæ heic, & vix non sanguineæ rixæ, his Veterum vestigia esse tenenda, nec ab ipsorum norma ulla ratione recedendum contendentibus, illis vetera omnia non sine stomacho rejicientibus, & nova quotidie molientibus. Deus bone! quot non ideæ Platonicæ de discendi docendique methodo his temporibus absque calceis, ut loquimur, & tibialibus circumcurrunt? Quivis vel parum tinctus rore literarum vult esse architectus, novamque ædificii formam præscribere. Quot non Joves cernimus, qui cuneato per vim cerebro nescio quas Pallades progignunt. Sed nosse hi debent, sub hoc Poetarum de Jove ac Pallade figmento latere veritatis insigne documentum, quo illi volebant innuere, artium ac scientiarum, quibus præsidere credebatur Pallas, principium & normam non ex invento humani ingenii, sed ex inexhausto divinæ sapientiæ fonte dimanasse. Non equidem omnia in hoc negotio priscis arbitror esse concedenda: multi eorum admodum reconditas inibant vias doctrinam exponendi auditoribus & discipulis: aliqui ob ipsarum rerum abditam naturam, quam recens detectam necdum in meridie collocare poterant: quidam ob indolis propriæ aspe-

asperitatem & invidiam aliquam, nolentes ut alii exiguo labore percipiant ea, quæ ipsi tam longo & improbo studio sunt consecuti, atque propterea tot involucris tecta proponebant placita sua: aliqui demum eo consilio, ut profanum vulgus a cognitione harum rerum, quas tradiderunt, procul arcerent, superstitiose credentes, doctrinam & auctoritatem suam ab hoc hominum genere fore contaminandam; hinc paucis duntaxat arcana sua crediderunt. Porro aliorum ex antiquis, quam in disciplinarum studio tenuerunt, ratio & modus longo annorum tractu demum exolevit. Quis enim jam ad Vitruvii regulam ædificat? Quis ex Varronis & Columellæ præceptis arat? Quis cum Dario immissis elephantis aut falcatis curribus prælium init, vel cum Julio Cæsare mœnia corona circumdat, ariete quatit, & facta testudine expugnat? Quis ex præscripto Hippocratis & Galeni prandet ac coenat? Nimirum in illis multa valuere seculis, quorum contraria nunc experimur in cœlo, in terra, in elementis in victu, vestitu, habitatione &c. Quin ut propius ad Institutum nostrum accedamus, olim Jurisprudentiæ stadium vix per decem annos fuit decursum: septem ægre sufficiebant studio Philosophico: qui Theo-

logiæ univerſæ operam dabant, viginti annos inſumebant. Nunc Juri ſacro & profano tres, totidem aut duo etiam Philoſophiæ, Theologiæ quatuor aut quinque tribuuntur, quod beneficium contracti temporis Magiſtro ſententiarum & Doctori Angelico in Theologia, Gratiano & D. Raymundo Pennafort in jure Canonico, in Civili Accurſio & Bartolo, in Philoſophia Conimbricenſibus Patribus Societatis Jeſu debemus, qui vaſtiſſimis his & penes antiquos Doctores latiſſime patentibus ſcientiis novæ ac bene ordinatæ methodi ope breviores limites maximo cum docentium tum diſcentium fructu poſuere. Verum & iſti heroes modo Veteribus accenſentur. Surrexere novi & recentes, quorum uti doctos labores neutiquam contemnendos eſſe judico, ita quorundam inconſultum novandi ſtudium multis nequaquam probatur. De his ita loquitur Anſelmus Deſingius e Familia D. Benedicti, Vir multæ lectionis & ſcriptionis, majoriſque eruditionis (b): „ Si methodi a „ modernis varie excogitatæ ſpectentur, „ illæ regno rationis potius nocent. Ra„ tionem enim juvat *Ordo* & *Conſtantia:* „ *inordinatæ* ſunt, & nihil conſtantiæ ha„ bent; præterea etiam ambagibus invol„ vunt,

(b) *Lib. de Regno rationis.*

„ vunt, e quibus nos methodus pristina „ explicabat: *inconstantes* sunt, quia quo„ tidie de una methodo ad aliam transitur: „ una vix tentata abjicitur iterum, ut alia „ quæ novitatis characterem recentiorem „ in fronte præsefert, arripiatur paullo „ post denuo abjicienda. Quisque cur„ sum scholarum utcunque absolvit, exem„ plo aliorum allectus cogitat de nova me„ thodo adornanda. In Philosophia quo„ ties jam novarunt cum principiis etiam „ methodum ? nihil tamen effecerunt bo„ ni, quod non jam in Aristotelis & D. „ Thomæ principiis ac methodo esset con„ tentum. Propterea neque ætatem tu„ lere Lullus, neque Ramus, nec Carte„ sius, nec Mallebranchius, neque fert „ ætatem Nevvtonus, sicut nec tulit Leib„ nitius. Et recentissima Wolfii, quæ „ extra Germaniam nunc incipit sapere, „ in ipsa Germania jam jam desipit, & „ novam circumspectant multi. „ Ita ille. Ulterior autem hac ipsa de re differendi occasio se se offeret in libro de Grammatica, de Philosophia, & de Theologia, in quas potissimum disciplinas præterito & præsente seculo novandi cupiditas atque libertas velut data porta, & facto agmine irrupisse videntur. Illud duntaxat interea animadverto, magnam inter scientias, &

inter ædificium ac horologium affinitatem intercedere. Architecti parum periti nota eſt, ſi novo ædificio jam jam inchoato nunc ſcalas, nunc atria, nunc conclavia, nunc tectum alio aliove in loco collocet, novamque perpetuo formam ædificio tribuat. Signum hoc eſt, ideæ primæ imperite ac perperam factæ. Horologii vero, ſi forte occurrit in eo, quod peccat, aut peccare videtur, eſt non nemo qui facili negotio partes disjungit: rotas, trochleas, & tympana a ſe invicem ſegregat, ut meliorem in ordinem redigat. Verum quam ſæpe contingit, ut ſi non in arte Magiſter ſit, nunquam amplius priſtinæ integritati horrologium reſtituat, opusque continuo deficiens, & ab inſtituto ſuo aberrans circumferre cogatur? Imagines hæ ſunt illorum ingeniorum, quæ ſibi plusquam par eſt, fidentia ſemper mutandæ perficiendæque ſcientiarum ac ſtudiorum methodo ſunt intenta: quia tamen debita ſcientia atque peritia ſunt deſtituti, vel pluribus negotium totum erroribus implicant, vel omnino deſtruunt cum ingenti reipublicæ literariæ damno, & vix integri ſeculi labore reparando.

Cætera, ut methodus in literarum ſtudio tenenda, de qua loquor, ſobria, firma & conſtans ſit, his maxime dotibus veſti-

vestita esse debet. Primo ut sit *ordinata;* erit autem talis, si post jacta solicite fundamenta, ab una quasi contignatione ad alteram per leges & præcepta firmo gressu procedatur, nihil per saltum fiat, nec nisi una parte perfecta ad alteram manus admoveatur: si & materiarum & temporis partitio commoda observetur: si lectioni meditatio, meditationi exercitatio ac scriptio succedat. Dein oportet, ut sit optime *excogitata*, ventilata, excocta, priusquam in publicum prodeat. Nimirum debent & commoda & incommoda, quæ exinde oriri possunt in utramque partem, ante oculos poni, facta inter se diligenti comparatione; certa relictis incertis arripi, antiqua retineri, si non nova clare sint illis meliora: debent animo prospici non solum præsentia, sed & futura seu damna seu emolumenta, hæc fovendo stabiliendoque, illis præcavendo: Si quæ occurrant emendanda, emendentur, non autem lolium cum tritico evellatur, nec ob partem vitiosam, cui medela facile adhiberi potest, tota fabrica cum fundamento subruenda est. Demum debet esse *universalis*, ut nocere nemini, omnibus prodesse queat. Atque hinc, quum Academiæ & Gymnasia sint emporia, ad quæ & magnis & mediocribus ingeniis, tum ci-

 vium

vium tum exterorum filiis, tam iis qui in ſacra, quam illis qui in profana republica officiis ac miniſteriis ſuo tempore ſunt adhibendi, liber acceſſus patet, opus eſt, ut talis ſtudiorum ratio & methodus teneatur, unde etiam mediocria ingenia, quæ longe plurima, & ut paullo ante demonſtravi, accedente cultura maximarum rerum capacia ſunt ad invidiam ſublimium, proficere in literarum ſtudio poſſint: quæ & patriæ uſui ſit accommodata, & ab exterarum nationum moribus non abhorreat: quæ non ſolum Juriſperitos, qui reipublicæ civilis fulcra ſint, aut Medicos, qui corporum ſalutem curent, ſed etiam doctos Sacerdotes, Theologos, animarum Paſtores progignat, qui graviſſimum Religionis, divinorum myſteriorum, & totius vitæ Chriſtianæ negotium pietate ac ſcientia moderentur. Certe uti Imperatores, Reges, aliique publicarum ſcholarum Conditores tot laboribus, tantisque impenſis eas haudquaquam inſtituerunt ad oſtentationem & populi plauſum, ac ludicra ſpectacula, ut olim erant gladiatorum palæſtræ, ſed ad ſanam eruditionem, ſolidamque doctrinam inde hauriendam, ita & methodus talis adhiberi debet, quæ non vanæ duntaxat oblectationi, polito in nobilium circulis ſermoni, ſciolorum adſentationi

aut

aut philautiæ, sed juvenum animis in eo, quod cuivis vel utile vel necessarium aut decorum est, disciplinarum genere rite imbuendis serviat. Quanti autem res hæc moliminis sit atque momenti, ut exemplo quodam palam fiat, eam studiorum rationem ac methodum heic producam ex doctissimo simul ac eruditissimo Possevino, quæ quando scholis tum superioribus tum inferioribus publice admoti fuerunt homines Societatis in diversis mundi partibus ac regnis, Romæ confecta, Principum ac Procerum adprobatione recepta, & usu fructuque uberrimo comprobata fuit. Profecto hac studiorum ratione ac methodo in Athenæa publica introducta per centum quinquaginta & plures annos tum in Germania & Polonia, tum in Hispania, Lusitania, Italia, Gallia & Belgio e scholis Societatis prodierunt juvenes, postea Viri & maximis Aularum negotiis, & Ecclesiæ muneribus præcipuis admoti, quorum præclara merita etiamnum vel in hominum memoria versantur, vel publicis annalibus & libris historicis celebrantur, ita ut vix ac ne vix quidem ævi hujus ingenia, meliore ut creditur, metallo fusa, illis comparari queant. Nolim tamen, ut quis existimet, eo id consilio hæc a me dici,

ac si hanc methodum præferrem aliis seu antiquioribus, seu recentioribus aliarum scholarum ac regionum, aut eam omnibus numeris absolutam & undequaque perfectam esse crederem: fuerunt succedentibus temporibus quædam secundum locorum & hominum varietatem omissa, quædam adjecta, alia magis expolita & perfecta, quin & non pauca eorum voluntate, penes quos suprema in publicas scholas potestas est, mutata & in aliam redacta formam. Eo solum res spectat, ut adpareat, quanta cura & solicitudine, qua circumspectione ac providentia opus sit, quamque non festinandum, aut levi manu negotium tam grande suscipiendum, ut generalis studiorum ratio & methodus prodeat, quæ ætatem ferat. Igitur sedente ad clavum Ecclesiæ Gregorio XIII. summo literarum ac studiosæ juventutis Patrono ac Mæcenate, qui amplissimum Societatis Jesu Collegium & Gymnasium erexit Romæ, totque per Europam alia Collegia & Seminaria bonarum artium & scientiarum, (uti Cap. 3. de Academiis & Scholis memini) sub hoc inquam Pontifice, quum & alii Reges, Principes, Respublicæ condendis sapientiæ domiciliis intenti essent, eaque regenda Jesuitarum curæ committerent, Claudius

dius Aquaviva supremus tum temporis universæ Societatis Præpositus, ut horum favoribus publici boni literarii, quanta maxima posset, grati animi significatione responderet, communem studiorum rationem certamque methodum omnibus scholis nostris servituram circa annum 1593. moliri cœpit hoc modo: I. Præmittebantur orationes & opera pœnitentiæ per totam Societatem indictæ, ad implorandum divinum auxilium, uti in rebus gravioris momenti in eadem Societate fieri adsolet. II. E provinciis disunctissimis evocati fuerunt Viri præstantissimi, ex Hispania Joannes Azor, e Lusitania Gaspar Gonzales, e Gallia Jacobus Tyrius, ex Austria Petrus Busæus, e Germania superiore Antonius Guisanus, Romæ commorabatur Stephanus Tuccius: omnes administrandarum scholarum usu præditi, & in omnibus pene facultatibus versati, libris quoque ac scriptis editis clari; singuli etiam gnari rerum provinciæ suæ, ut variarum gentium auditis collatisque moribus ac studiis id communi consilio statueretur, quod locis quoad ejus fieri posset, congrueret universis. III. Antequam manus operi admoverent Patres isti, sistebantur Pontifici, qui vehementer lætatus, adhortatusque ad alacriter perficiendum

dum

dum tam utile negotium amplissime illis benedixit: Purpurati quoque Patres nonnulli, auctoritate ac doctrina præcipui, re intellecta consilium hoc summopere commendabant. IV. Datum postea initium labori: horæ ternæ diebus singulis in consultatione ponebantur. Universum autem opus in duo capita distributum fuit; in uno de opinionum securiorum delectu & censura agitatum est: in altero traditus fuit ordo ac praxis scholarum, omniumque exercitationum, quibus ad sapientiam ac bonas artes juventus promovetur, institutio. V. In constituenda certa ratione ac methodo, qua scientiæ ac facultates singulæ tractarentur, recitabantur Patrum deliberationes sive Romæ, sive extra in nobilioribus Societatis Collegiis varia temporum occasione factæ: expendebantur leges Universitatum, & diversi generis alia, Claudio Generali ex Italicis, Hispanicis, Gallicis, Germanicis, Polonicis provinciis transmissa. Ex his antiqua plurima retinebantur, recentioraque adtexebantur, abrogabantur nonnulla. VI. Confectus tandem est Tractatus duplex: unus de opinionibus seligendis; alter de scholarum administratione. Uterque tum sub incudem revocatus: demum a Collegii Romani Theologis, a reliquis dein-

deinde per universam societatem provinciis expendebantur. Atque hic Congregationis de studiis habitæ tam cursus quam exitus fuit. Anno denique vertente sub finem Augusti mensis, quum Decembris initio prioris anni cœpisset, conventus est solutus. Relicti in Urbe tres Patres Stephanus Tuccius, Joannes Azor, & Gonzales ad interpretationes dandas, si dubia occurrerent. Missa dein exemplaria ad omnes provincias, ibi examinanda, relicta potestate proponendi meliora, si quæ in singulis provinciis occurrerent: hisque omnibus in Urbem missis auditisque Romæ conclusum fuit nomine universæ Societatis.



CAPUT V.

GUSTUS LITERARUM.

§. I.

Gustus bonus & sobrius.

XXXVII.

Subtile admodum argumentum heic tractandum mihi occurrit, sed quod maximi sane momenti, & gravissimum reipublicæ literariæ negotium est, scilicet de

de guſtu literarum. Eſt autem hic, de quo loquor, non ut vulgus accipit, cupiditas & adpetentia ad artes & ſcientias varias perdiſcendas: hac enim qui carent, velut vita & anima bonarum literarum deſtituuntur, ſemperque ante fores & in atrio ſapientiæ ſtabunt quaſi proſelyti, nec unquam aditus illis patebit in ipſa penetralia artium & ſcientiarum, utpote quarum respublica nulla mancipia, quæ vi & plagis adigi neceſſe eſt, ſed liberos duntaxat homines recipit, qui ſponte ſua & numine quodam intus agente illas complectuntur; quam etiam ob cauſſam ſcientiæ & artes *liberales* adpellantur.

Guſtus igitur nomine hoc loco venit virtus & vis quædam diſcernendi (alii diſcerniculum nuncupant) vis inquam diſcernendi tum quæ in Auctorum libris & ſcriptis, tum quæ in propriis & aliorum lucubrationibus reperiuntur ſeu laude ac admiratione, imitationeque digna, ſeu vituperio ac neglectu. Ejus officium eſt, ut de tota bonitate, veritate, ac pondere idearum, argumentorum, expreſſionum, ſtyli, characteris aliorumque quæ in quovis themate, oratione, aliave ſcriptione inveniuntur, ſanum, ſincerum ac certum

ju-

judicium ferre norit, qua re id ſimul conſequitur, ut facile deprehendat ac notet, quidquid vitii vel contra naturæ ductum & cultum, vel contra regulas artis aut decorum irrepſerit; neque hoc ſolum, verum etiam ut ipſos fontes vitiorum errorumque quamprimum detegat. Hæc autem vis diſcernendi partim naturæ partim artis opus eſt, ita ut initium ſui debeat rationi naturali, cui velut congenita eſt, perfectionem vero arti, quæ intra certas eam leges velut intra fines continet. Profecto quivis hominum, niſi omnino bardus ſit, & glebam inter ac ſtivam educatus, nilque niſi rus cogitare ac loqui adſuetus, prima quædam principia & veluti ſemina hujusmodi guſtus a nativitate ſecum adfert, quorum adminiculo diſcriminat, quod recte fit in arte aliqua, ab eo quod perperam agitur; & id quod placet, ab eo quod merito diſplicere poteſt, etſi neſciat, cur iſtud probet, improbet illud Nimirum ſentit aliquod quaſi tacitum Numen intus ſibi loquens & inſpirans vel adprobationem vel diſplicentiam. Atque hoc eſt, de quo Seneca loquitur (c): *Inſita ſunt nobis omnium artium ſemina.* Res patet in Muſica & pictura. Producitur ſymphonia quædam vel in Eccleſia, vel

(c) *De Benefic. l. 4. c. 6.*

vel in Theatro, facro aut profano loco, confluente tum Muficorum tum Auditorum magna frequentia: certant inter fe voces diverfi generis, fubtiles, mediocres, altæ, profundæ, lenes, variaque fonant inftrumenta Mufices, fides, cheles, tibiæ, cornua, tubæ, tympana, organa, omnes fymphoniæ hujus partes bene concordant, blande in aures fe fe infinuant, dulcemque poft fe concentum relinquunt. Quis omnium eft præfentium, feu calleat hanc artem feu non, cui non placeat, qui non laudet, immo qui non adplaudat? multi omnino velut extra fe rapiuntur, & immobiles tanquam delphini adftant coram Orione, vel ut auritæ arbores ante Orpheum. Verum irrepat forte fortuna vox quædam diffona, vel vitiata, quam Græci cacophoniam vocant, aut inftrumentum minus concordans, vel hiatus aliquis in ipfo choro, indignantur palam omnes, etiam illi, qui artem muficam ne in limine quidem falutarunt. Hos tu fi interrogaveris, quid adeo ipfis placuerit, quid difplicuerit hac in fymphonia, fi rationem reddere jufferis, nemo (artis peritos excipio, quorum pauciffimi funt) nemo poterit refpondere verbis, fed folo nutu vel lætitiam vel indignationem præfeferente. Nefciunt enim

quid

quid eos bene vel male habuerit; sentiunt tamen aures suas esse vel probe hac musica demulsas, vel vulneratas. Ecce! gustum de quo dixi, & sensum de harmonia, ab ipsa natura hominibus inditum. Quid de picturis dicam? prostet earum una aut ante Apellis cujusdam ædes, aut in pinotheca Magni Ducis Florentini: sit ad omnes artis regulas composita, certent inter se de palma colores: sit exactissima partium symmetria & proportio: objiciat spectantium oculis Optica larga manu ludibria sua, & Architectonica columnarum Ordines, aliasque opes suas: loquantur personæ depictæ, & animi sui sensus reconditos atque affectus membrorum compositione ac situ prodant. Cui non placebit, aut cui displicere poterit ejusmodi pictura, qui vel parum humani sensus habet? non pigebit stare per unam vel plures horas firmo pede ac fixis oculis ante imaginem: nunc hoc nunc illud mirari, pictoris nomen desiderare, illius artem & ingenium extollere, easdem cum rebus pictis animi adfectiones induere, in amorem rapi, ita ut vix ab ea magis magisque contuenda avelli se quis posse credat. Secus vero si parum artis in pictura reluceat, postquam levi oculo lustravit, pedem retro feret, corrugans frontem, dicensque

non placet; cur autem placeat vel diſpliceat, percontanti ſatis aptam reſponſionem dare non poterit, ſed ſenſus judicium hac in re vix non tantum valet apud ipſum, quod ars & uſus apud alium, qui hujus cognitionem intimam habet. Ecce! rurſum nativi guſtus argumentum. Plus dico, idem ſe prodit in culta quadam & ad Rhetoricæ leges exacta Oratione, ſeu e roſtris ſeu e cathedra ad concionem refertam dicatur; nam adprobationem & plauſum feret non ſolum a ſapientibus, ſed etiam ignorantibus, non ſolum a Nobilibus, ſed etiam a plebe: amborum guſtui ſatisfiet. *Non enim*, inquit Tullius (d) *de bono Oratore aut non bono doctis hominibus cum populo diſſenſio fuit.* Utriusque partis idem de Oratore judicium eſt, quamvis illud, quod ſapientum eſt, non ſolum a natura inditum, ſed etiam ab arte perfectum ſit.

Atque de hoc guſtus bene ordinati genere, qui ab arte proficiſcitur, relicto altero nunc agendum eſt. Equidem non ignoro, magnum illum latini ſermonis, & artis rhetoricæ Magiſtrum Fabium Quinctilianum in eam delapſum eſſe opinionem, quod guſtus hic ſeu vis diſcernendi, quantum

(d) *In Bruto.*

tum ad liberales diſciplinas adtinet, per artem acquiri non poſſit, quam parum guſtus & odoratus, ſenſus illi exploratores ciborum & odoramentorum. *Non magis*, de priore loquens inquit, *non magis arte traditur, quam guſtus aut odoratus* (e). Immo aſſerere non dubitat, in multorum mentibus ne quidem hujus literarum guſtus artificioſi veſtigia deprehendi, ut merito credatur, ſolius eſſe naturæ beneficentiam, a qua donum hoc deſcendat. Verum pace tanti viri dixerim, prima quidem doni hujus lineamenta in nobis formari a natura, ab arte vero mirum in modum perfici. Si enim crebrior uſus & conſuetudo cum hominibus cultis acuere poteſt & expolire hunc guſtum ſeu virtutem diſcernendi aliis in rebus, etiam apud homines nulli ſtudio addictos, immo eos, quos barbaris accenſemus, quid non poſſit in literario genere ars penes illos, qui hujus regulas & leges in ſubſidium vocant? Legimus autem & videmus, nationes quasdam barbaras, quas Indos dicimus, novo in orbe, aut orientem verſus in Aſia habitantes, quæ antea nudo corpore incedebant, inconditis clamoribus aerem replerunt, ſemi-crudis pecorum aut etiam hominum carnibus veſcebantur, ubi lon-

(e) *Lib. 6. cap. 5.*

longiore tempore Europæorum commercio & societate usæ sunt, vestes induere, musicam amare & colere, cibis bene paratis atque conditis mensam instruere rejecta veterum his in rebus morum suorum inhumanitate. Videmus Turcas, Scythicam gentem, post inita cum Christianis plura pacis fœdera, commercia, ac institutas ultro citroque legationes, esse nunc longe cultiores in conversationibus, in politicis negotiis, in conviviis, in supellectile domestica, in adparatibus publicis. Nimirum monstrante viam, quemadmodum dixi, usu ac consuetudine cum bene moratis hominibus, excitantur reposita in sinu semina & igniculi latentes virtutis discernentis, quod bonum, quod honestum, quod decorum, quod utile, immo quod melius atque perfectius est illo, cui adsuevimus prius, quam lux ista discernendi supra horizontem nostrum oborta fuit. Ut propius ad institutum meum accedam, videmus aliquos seculis istis cultissimis, qui scientiarum & studii expertes, quales sunt ut plurimum rei militaris Præfecti, Ordinum ductores, Mercatores majorum gentium, Satapræ &c. dominante quodam boni gustus sapore præditos esse, qui se ubique prodit absque eo, quod advertant, in sermone, in epistolis, in moribus, in ferendo

do de rebus diverſiſſimis judicio, dum ſcilicet aut diuturniore cum rerum peritis familiaritate, aut longiore in exteris regionibus commoratione edocti, quæ audiebant, quæ ſunt experti, ſubito in animum revocant, ac foras cum decore emittunt. Jam vero ſi in his omnibus, quorum memini, non mediocris diſcernendi vis reperitur, ſolo uſu ac conſuetudine comparata, quis inficiari auſit, hanc ipſam vim, quam guſtum dicimus, quantum ad literas & ſcientias adtinet, arte perfici plurimum poſſe, vel per earundem regulas & leges, vel per interiorem illarum cognitionem, ut judicium prudens, firmum, ſincerum de cujuslibet valore aut vitio ferri queat?

XXXVIII.

Nunc ad dotes illius quam exquiſitas tam reconditas & minime obvias oculos & animum convertamus. Prima illarum facile eſt, quod in auctoribus, quorum lectioni operam damus, detegat nobis idearum & cogitationum, quibus argumentum ſibi præfixum exponunt, harmoniam, bonitatem, veritatem & juſtum pondus: ambitum & modum dictionis: ordinem robur & firmitatem rationum, quas adferunt: expreſſiones & characte-

res naturæ rerum, de quibus agunt, convenientes: totam denique oeconomiam, gratiam, & divitias lucubrationis conspectui sistat. Gustus hic seu discerniculum, quo majus est ingenium, magisque in legendis optimis scriptoribus exercitatum, eo delicatior est, magis vivus, penetrans & firmus. Quantumvis autem sit simplex & unicus origine sua, multiplex tamen adparet secundum diversos, supra quos se se extendit, scriptorum & scriptionum characteres. Præsens adest, seu in prosa seu in versu fiat scriptio, in stilo extenso & contracto, sive materies scribendi sit sublimis, sive humilis, jocosa vel seria: ubique se se prodit, & verum a falso, bonum a vitioso, decorum ab incondito discernere ac separare novit, non secus, ac sensus ille, quem gustum dicimus, si integer sit, cibos sapidos ac sanos a noxiis & insipidis quamprimum distinguit, uti observat Fabius (f): *Quod sentitur latente judicio velut palato.* Idem illi usu venit in Scriptoribus: Terentius, Phædrus, Cæsar, Tullius, Sallustius, Virgilius, Horatius &c. quam diversi sunt in rebus, de quibus agunt, in ornamentis, quæ adhibent, in stilo quo utuntur? Nihilo tamen minus, quemadmodum omnes hi

(f) *Lib. 6. c. 6.*

hi ſcriptores ipſi in tanta varietate ingeniorum præcellens aliquid habent, & in genere ſuo perfectum, ita & guſtus ſive virtus diſcernendi tincturam ut ita dicam illius ſpiritus, qui omnibus communis eſt, optime dignoſcit, eosque ab aliis ſequioris metalli ſcriptoribus aperte ſatis diſcriminat. Nimirum Tullii guſtum ſequitur, qui de claris oratoribus, diverſæ tamen indolis, ita fatur (g): *Nec refert, quod inter ſe ſpecie differant, cum in genere conſentiant . . . . omnes eandem ſanitatem eloquentiæ ferunt, ut ſi omnium pariter libros in manum ſumpſeris, ſcias, quamvis in diverſis ingeniis eſſe quandam judicii ac voluntatis ſimilitudinem ac cognationem.* Altera guſtus dos eſt, quod ſphæra illius latius pateat, quam creditur. Quippe coarctari ſe non patitur intra ſcientiarum limites; ulterius progreditur, & omnes alias artes pervagatur. Quippe quaſi manu ducit cultores ſuos, ut ſicuti in ſcientiis & libris diſcernendi vim exerunt, inquirendo confeſtim & notando id, quod ſplendidum, decorum, ordinatum & naturæ conforme eſt, idem omnino faciant in architectonica, muſica, pictura, ſculptura &c. obſervando debitum partium

(g) *Dial. de Orator. c.* 25.

tium dispositionem, symmetriam, harmoniam, elegantiam, & quid tum ornamentorum, tum nobilis cujusdam simplicitatis inest, etsi nonnisi in superficie illarum notitiam possideant, & regulas illis proprias ignorent. Quod plus est, etiam moribus publicis hic gustus se se communicat, atque ab eo plurimum dependet bona & ordinata vivendi ratio, quam *politiam* vocamus. Manifestat enim quamprimum nobilem illum spiritum, qui in gestuum & corporis totius modesta compositione, in sermonis elegantia minime fucata, in amœnitate conversationis absque levitatis nota, in affectuum moderatione, ne plus foris se prodant quam oportet, & decora gravitate cum libertate conjuncta residet. Juvat laudabilem hanc gustus evagationem exemplo illustrare. Prodit Plutarchus de Paullo Æmilio (h): Magnus hic Bellidux, rei militaris peritissimus post subjugatam Romano Imperio Macedoniam convenientibus ad se Græciæ Proceribus grande convivium instruxit, in quo quum omnia splendissimo vasorum aureorum argenteorumve adparatu, admirabili ferculorum exquisitissimorum ordine, ac symmetria, cubitorum ambitu magnifico peragerentur, præsentium plurimi

(h) *In vita Paul. Æmil.*

rimi non ſatis mirari poterant, qua ratione cuncta tam belle tamque ordinate diſpoſita fuerint, contra quam ab homine inter arma educato & militiæ dedito exſpectabatur: quod quum animadverteret Æmilius, velut ægre ferens hanc eorum admirationem: *An neſcitis* inquiebat, *quod illud ipſum ingenium, quod aciem inſtruere & exercitum ordinare docet, etiam doceat epulas bene ordinare!*

Tertia dos eſt, & præcipua, quod in ipſas Cultoris ſui lucubrationes ſe ſe inſinuet, & viam monſtret, quam ille in iis ad perfectionem deducendis tenere debeat. Inprimis enim ſplendidam quamdam imaginandi rationem ſuggeret, qua res illas, de quibus diſſerere conſtituit, in mente ſua concipiat, ita ut nihil tritum, nihil humile, nihil obſcurum, nihil tortum aut confuſum adpareat; ſed ubique exquiſitum, dilucidum, & optime ordinatum eluceſcat. Porro facit, ut quæ mente concepit, proferat elegantia & cultu naturam rerum æmulante, cujus veſtigia pede preſſo & fideliſſime ſequitur, ſecluſo omni tumore affectationeque ſeu ratiocinationis ſeu ſtili: præterea eſt ſobria & moderata etiam in ipſa ornamentorum & divitiarum abundantia, easque nonniſi ad judicii menſuram, atque cum gratia per

ſuas lucubrationes diſpenſat, nunquam mancipium, ſemper ſuarum opum domina. His ita condire novit orationem ſuam, uti peritus cocus cibos, ut etiam poſt finitas epulas, menſamque remotam orexin adhuc excitent. Demum nequaquam decipi ſe ſinit, & oculorum aciem perſtringi falſo quodam argumentorum ſplendore: ponderat ea ad exactiſſimam criticæ bilancem, nec extra limites juſtæ ratiocinationis evagari permittit, ſed omne quod redundat, nec ad rei ſummam pertinet, quantumvis belle luxuriet, tanquam inutiles pampinos absque miſeratione reſecat, quemadmodum Horatius canit:

Recideret omne
Quod perfectum traheretur.

neque tam indulget ingenio, quam innititur judicio. Nam ut ait Quinctilianus: *Quoties ingenium judicio caret, ſpecie boni fallitur.* Quarta dos eſt, quod mentem a præjudicatis opinionibus liberam reddat. Sunt enim non pauci, qui Magiſtrorum, quibus operam dederunt, inſcitia vel oſcitatione circa ornatum, dictionem, argutias, argumentationem perverſas ideas animo impreſſas circumferunt, & depravato guſtu laborant: Sunt alii, qui ſuopte ingenio transverſum aguntur,

nil

nil nisi sublimia, subtilia, delicata, & blandimenta sermonis sectantur, atque relictis gemmis & adamantibus vitro & conchiliis inhiant, hisque solis delectantur: sunt denique, qui postquam primis labris scientiæ cujusdam mel degustarunt, totum se favum exhausisse credunt, & ipsi sapientiæ ab intimis consiliis esse se gloriantur. His omnibus, ubi attenta optimorum Auctorum lectione, observatione præclararum scriptionum, longaque exercitatione verum atque sincerum gustum hunc sibi compararunt, brevi post desipiunt veteres ideæ, deponunt præjudicia, abjiciunt crepundia, atque ab antiquis suis erroribus subito liberatos se gaudent. Simile quid, ut exemplo utar, notæ eruditionis ac doctrinæ Viro M. Antonio Mureto contigit, uti de seipso fatetur (i); Hic admodum Adolescens ad Jurisprudentiæ civilis studium animum adplicuit, & ut erat perspicaci præditus ingenio, ac ore promptus, eos fecit progressus, quos in tantula ætate mirabantur singuli, quibusque in publicis concertationibus adplaudebant omnes. Verum ubi postea in manus illius venere libri quidam, veteris Græciæ & antiqui Latii eruditione pleni, circumspicere se cœpit attonito similis, facileque agno-

(i) *Orat.* 15.

agnovit, quanta essent, quæ ignorasset hucusque. Visus sum, ait ipse, de cœlo decidisse, aut in alium quemdam orbem delatus esse: neque aliter affectus sum, quam egeni & inopes homines interdum solent, qui cum totam noctem somniarunt, se divites repente factos esse, ubi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectarunt, exporrecti omnia domi suæ obtexta telis aranearum vident. Quapropter velut pertæsus ignorantiam suam, & moræ impatiens in exteras regiones se contulit, ut Jurisprudentiam suam locupletiorem redderet, opesque illas ac sincerum literarum, in quibus postea excelluit, gustum sibi compararet.

§. II.

Gustus malus & corruptus.

XXXIX.

Equidem monent sapientes, *de gustibus non esse disputandum*, id quod eam ob caussam dictum esse existimo, tum quod nimis magna sit gustuum varietas, nempe tanta, quanta est rerum innumerarum, ad quæ is extendere se potest; tum quod labor foret inanis, tot hominum gustus ad unam velle regulam com-

po-

ponere. Nihilominus si non disputare, saltem disserere de illis licebit, & quidem hoc secundo loco de corrupto literarum gustu, ejusque caussis, e quibus ea, quæ prius de bono ac sobrio dicta fuerunt, clarius relucebunt. Ante omnia vero nosse oportet gustus mali in re literaria radicem, quæ optime explicari potest per analogiam cum corrupto in cibis gustu. Hic enim a ventriculi & humorum mala adfectione ortum suum trahit; unde dulciaria, salsamenta, & acetaria plerumque adpetere videmus eos, in quibus bilis & humor acidus dominatur, cujus illa sunt alimentum. Ita profecto corruptus literarum gustus provenit ab interiore ingenii œconomia vitiata, & a sinistris de vario literarum genere ideis, quibus imbuta semel mens extra ordinem fertur in ea, quæ ingenium magis magisque depravant. Ire juvat per diversas artes atque scientias: In Grammatica seu arte latinitatis non pauci heroes esse sibi videntur, si verba grande quid sonantia & inflata, aut voces e Pacuvii armamentario depromptas, ac phrases metaphoris bene fartas adferant, quum vera latinitas nonnisi cultum simplicem amet, quem verba a probatis auctoribus, & primo fonti hujus linguæ vicinioribus usurpata, nitida,

& in propria sua vi significandi adhibita, rectoque ordine sermonem perspicuum reddente collocata conciliant. In Poetica eo meliora quibusdam carmina videntur, quo altius assurgunt versus, ipsa tacturi sidera, quoque audaciores fuerint tropi, pluresque fabulae fabulis implexae. Non sunt contenti Pegaso suo, si non in omnem partem calcitret, nec Musae placent, si non tendant plectrum, usque dum fides rumpantur. Sed plane falluntur; nam ars haec venam fluidam poscit, non turgentem: fulgurantes sententias, non fulminantes: fabulas instar condimenti parce adspersas, ac descriptiones verosimiles, quaeque naturam proxime imitantur. In Oratoria facultate multi omnem vim ponunt in ornatu, in figuris, in periodorum ambitu, in dictione grandiloqua, quae ipsius Demosthenis ac Tullii eloquentiam transcendant, nescientes haec vestimenta duntaxat esse, quibus detractis nuda & pauper non raro adstat oratio, destituta argumentorum pondere, sententiarum energia, virtuteque movendi animos auditorum, ac in omnem qua lubet partem flectendi. In Philosophia quot capita, tot sententiae: nihil placet, quod non Cartesius ad tornum excogitavit, quo novam mundi fabricam molitus est: nihil quod

quod non uncis & hamis e naturæ officina extraxit Gaſſendus: nihil quod non *vi centripeta* & *centrifuga*, in vorticem circumegit Nevvtonus: nihil quod non geometricis methodi ſuæ paſſibus emenſus eſt Wolfius. Interea ſolida & firma ratiocinandi virtus ac philoſophandi ratio velut humi proſtrata jacet, & naturæ arcana, quæ quivis horum detexiſſe ſe cum plauſu jactitat, pluribus ac denſioribus quam antea tenebris involvùntur. In Jurisprudentia alii primas deferunt leguleis, qui uno halitu bene multas citare leges norunt, licet pluribus obnoxiæ ſint interpretationibus: alii *Actionum* peritis, qui ab una ad alteram dextere litem transferre ſciunt, cauſſamque ut corium extendere: alii novis Jurisprudentiæ oraculis, qui e ſtatu puræ naturæ, qui nunquam exſtitit, nec exiſtet, æqui & juſti principia deducunt, ſervitura hominibus, qui eſſe potuiſſent, non qui ſunt: pauci illis, qui *ſtatum quæſtionis*, & *punctum juris* ut vocant, ante oculos poſitum habentes, nec ab eo damnoſis ambagibus deflectentes, cauſſas ex æquitate naturali, legum ſuffragio adjuta, definiunt. In arte Medica præplacent, qui ore latiſſimo Hippocratis & Galeni aphoriſmos & axiomata adplicare ægrotis poſſunt melius, quam medicamen-

camenta : qui velut ex tripode morbi originem, effectus, symptomata, crises &c. attonitis, qui ægrum circumstant, domesticis gravi sermone explicare valent, non raro autem virtutem herbarum, pharmacorum compositionem, rectamque medendi methodum ignorant, hariolantes multum, parum contra vim morbi ac mortis arte sua proficientes. Etiam in ipsam adeo Theologiam, sacram illam doctrinam, corrupti gustus se se insinuant; dum hi omnis ecclesiasticæ eruditionis osores totos se se subtilibus, quas speculationes dicunt, quæstionibus immergunt, & dialecticis artibus sacrum hoc forum implent: alii contra excusso ratiocinationis legitimæ jugo per ecclesiasticæ historiæ campos ubique evagantur, fidei vero dogmata & gravissima religionis mysteria velut intacta relinquunt: aliqui spreta Patrum auctoritate, antiquissima dogmata & traditiones convellere, abolitos pridem ritus & mores instaurare, totamque Ecclesiæ disciplinam & doctrinam ad intemperantis criseos tribunal vocare non verentur. Ecce! depravatos in omni fere artium ac scientiarum genere gustus, hoc maxime seculo dominantes.

XL.

XL.

Jam vero ut ad caussas singulares hujus mali descendam, facile prima est mala institutio a Præceptoribus ac Magistris accepta. Contingit autem istud partim quod hi ipsi sæpe laborent eodem morbo, & pretiosi hujus gustus literarum sanique judicii expertes sint, partim quod regularum traditione, auctoris alicujus explicatione, correctioneque mendorum contenti ad interiora artis aut scientiæ illius, qua discipulum informant, non penetrent, nec quid in ea luminosum, nitidum, sapidum, ac nobile, contra vero quid obscurum, pingue, austerum, siccum, humile sit, quasi digito monstrent, neque adsuefaciant ipsum juvenem, ut dum legit aut scribit, ad has ipsas dotes animum advertat.

Altera caussa est inconsulta lectio auctorum. Plurimum sane refert, quem quis auctorem primo legat, sibique imitandum proponat: nam

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

Si in latinitate addiscenda, in Poesi vel Rhetorica, aliove disciplinæ genere auctor, qui primus in manus incidit, vel

 ni-

nimium sublimis, vel omnino humilis incedat: si Laconum more sensus abruptos proferat, vel ubicunque janua patet, latissime evagetur, vix domum rediturus: si nimium presso pede minutias quasque sectetur; vel contra sine ordine sine lege plurima coacervet, si eodem sermonis tenore cultuque parva, mediocria, & magna persequatur &c. fieri haud potest, ut ex ejusmodi malo prototypo non prodeat quoque ectypon vitiosum, & quod primis labris sugitur lac morbidum, sanguinem & humores non inficiat. Pejus adhuc foret, si disciplinæ alicujus Candidatus obviis quibusvis scriptoribus promiscue ac sine delectu evolvendis operam daret: contingeret enim illi, quod convivæ alicui in mensa laute ac dapsiliter instructa, qui ex omni ciborum genere, calido & frigido, lixo & frixo, dulci & salso vectigal sibi ipsi penderet; næ hic ventriculum oneraret supra vires, tantaque varietate brevi facultatem digerendi, omnemque gustum sobrium pessumdaret? Tertia caussa est festinatio in literarum studio. Qua enim ratione illi, qui nunc hanc nunc illam scientiam vel artem in superficie degustant, plenam vel unius notitiam sibi comparabunt, e qua verus probusque gustus nascitur? consistit hic,

ut

ut dixi, in recte judicandi ac discernendi arte, ad quam nunquam perveniet, qui leviter duntaxat tinctus est, & veluti e Nilo lambit solum, non haurit aquas. Si in ulla alia re verum est tritum illud adagium, *quod cito fit, cito perit*, profecto in artibus & scientiis addiscendis id valet. Sunt enim illarum principia, placita, & veritates velut semina, a quibus, si non profundius in terram demittantur, & longiore tempore sub ea lateant, nunquam seges ac messis exspectari potest.

Quarta caussa est pravum exemplum, quo aliquis, qui raris naturæ dotibus instructus formam & popularem adplausum sibi conciliavit, cæteris præit: sufficit enim vel unus ad malum gustum ac stilum corruptum introducendum; quippe non raro fit, ut ejusmodi sublime ingenium secreta quadam ambitione stimulatum, quo veluti a turba scriptorum, Oratorum, Philosophorum ac Theologorum se se distinguat, singularem sibi hippodromum aperiat, in quo cum novo dicendi genere, cum novo cœli aut terræ systemate, cum novis dogmatibus compareat, & spreta Veterum Magistrorum auctoritate de novorum discipulorum sua vestigia prementium comitatu sibi prospiciat. Ita

brevi cedere cogitur existimationi recta ratio, solidum fulguranti, mirabili naturale ac verum, dumque præstigiosa quadam vi ac dulci incantamento reportatur admiratio, præsto sunt, qui spe similis successus animati imitentur, suaque clientela hujusmodi novitatem firment atque corroborent. Ita sincerus gustus antiquus pellitur, eique novus succedit, secumque integram sæpe nationem, etiam doctorum hominum, torrentis instar abripit. Non desunt hujus rei exempla: Plus æquo delectatus est scriptor quidam (quis primus fuerit, non satis patet) figura illa Rhetorica, quam *similiter cadentium* verborum dicunt, eamque frequentius adhibuit. Et ecce! brevi gustus hic ita inter scriptores alios invaluit, ut Sanctos quoque Patres, ingenio, sententiarum gravitate, ac dictionis elegantia cæteroqui summe conspicuos corripuerit, quemadmodum in illorum sermonibus & homiliis passim adparet. Gothi & Longobardi usi quadam libertate illiberali latina verba & voces puras castasque addendo unam vel plures syllabas, demendo, mutando e verbis in adjectiva, ex adjectivis in substantiva & adverbia, veluti ceram in omnem partem & figuram inflexerunt, atque post hos multis seculis etiam docti quique Viri &

Scri-

Scriptores morem hunc barbarum in sermonem, in libros, in scholas omnium fere disciplinarum invexerunt, ita ut necdum radicitus evelli potuerit, sed tristes adhuc reliquiæ supersint. Inter Nortmannos, ultimæ Saxoniæ & Scandiæ populum, qui Seculo IX. Galliam, Hispaniam, & Italiam occuparunt, quidam Leo nomine fuit, aut alius conditor versuum, quos Leoninos vocant etiamnum hodie, hisque gentem suam & aliquot post se secula infecit, licet ut plurimum essent versus barbari & primis suis parentibus similes: exstantque multa adhuc vestigia in saxis sepulchralibus. Cartesius in Gallia manum adplicuit ad novum mundi systema fabricandum, cui ipsemet fidem non adhibuit, ut suo loco videbimus: nihilominus Cartesianæ sectæ fermentum brevissimo tempore tam late se propagavit, ut qui Cartesianus non esset, e Philosophorum Catalogo indicta caussa expungeretur. Wolfius in Germania novam philosophandi methodum geometricam cudit, & confestim invenit sectatores bene multos, qui strepitum ingentem excitarunt, & sine hac nihil, per hanc omnia Philosophiæ ac naturæ arcana demonstrari jactitarunt: quumque ex ipso Wolfio demonstrarent Viri doctissimi, quam vana, & inanis sit

hæc methodus, subito conclamarunt, eos Wolfium nec intelligere posse, nec velle. In Theologiam cum insolente sua arte Critica Dupinus, Clericus &c. irruperunt, nec Patribus, nec Conciliis, nec antiquissimis Ecclesiæ traditionibus parcere adsueti: alii temere proscripta speculandi ac ratiocinandi circa divina mysteria methodo omnes paginas Patrum sententiis, dogmaticis sanctionibus, & historiæ Ecclesiasticæ fragmentis implerunt; hæcque novandi libido quamplurimos hoc ævo invasit, ut pauci modo Theologos Scholasticos, sed plerique Criticos & Dogmaticos non sine injuria sacræ hujus doctrinæ se profiteantur. Ita unius vel paucorum ut dixi pravo exemplo debemus corruptos in plerisque artibus & scientiis gustus. Accidere heic mihi videtur, quod de quodam Francorum Rege legisse me memini, scilicet, quod Rege nescio quo fato aut casu claudicante continuo satrapæ omnes claudicantes incesserint, vel ne Rex solus hoc pedum vitio laborare videretur, vel quod perquam honorificum sibi ducerent imitari Regem, etiam deformando id, quod benigna natura in ipsis tam belle formavit. Quinta demum caussa est corruptela morum aliis in rebus ad vitam humanam pertinentibus, quæ corruptelam quoque veri gustus in literis post se trahere solet.

let. Diximus enim non ita pridem, guſtum quemdam rerum a natura nobis inſitum eſſe, eundemque quem in literis ſentimus, ſi arte perficiatur, in omnes quoque humanæ conditionis actiones etiam diverſiſſimas ſe ſe inſinuare, ut recto ordine, provide, & decore fiant. Quodſi bonus in his guſtus ſemel vitium contrahat, ſuccedatque malus, brevi etiam idem fatum in re literaria experietur, ac ſenſim depravabitur. Jam vero quis neſcit, quam multi ſint, qui veteris in veſtitu modeſtiæ ac gravitatis pertæſi exteris pannis, fimbriis, monilibus, armillis, togis & pileis, verbo, habitu a capite usque ad calcem peregrino, & quidem identidem mutato, incedant? qui ſobrietatis antiquæ obliti variarum nationum guſtus in menſas & epulas introducant, & altilia ac piſces, vina maſſica aliosque potus, herbas & fructus atque lautitias a patriæ moribus alienas e remotis ſæpe regionibus magnis impenſis advehant? qui linguæ, quam cum lacte biberunt, tædio affecti aut aliis addiſcendis operam dent, mireque in iis glorientur, aut ſuam novis vocabulis, nova pronunciatione, vocumque inflexione continuo in alias formas migrare jubeant, relicta primæva oris ac cordis ſimplicitate? Taceo alias vitæ noſtræ actiones, quas quotidianæ variationi obnoxias

ipsi reddimus. Quid mirum, si hac perpetua novandi cupiditate ac consuetudine abrepti in literis quoque primigenium ac sincerum gustum perdamus, semperque magis corruptum induamus? Hanc ipsam quam adtuli caussam postremam, eleganter explicat Seneca in una suarum epistolarum (k). Nam interpellatus ab amico sciscitante: *Quare quibusdam temporibus provenerit corrupti generis oratio?* quave ratione contigerit, ut ingenia Oratorum in non pauca vitia prolapsi fuerint, dum aliqui audacius quam par est, talia proferrent, quæ omnem fidem egrederentur: alii abruptis & concisis sententiis orationem implerent, quæ plus negotii facesserent capiti, quam auribus: aliqui translationis jure uterentur satis inverecunde? huic inquam scite respondit Seneca proverbio apud Græcos domestico: *Talis hominibus fuit oratio, qualis vita.* Ajebat enim: *Quemadmodum uniuscujusque oratio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores . . . si disciplina civitatis laboravit, & se in delicias dedit, argumentum est luxuriæ publicæ orationis lascivia . . . . non potest alius esse ingenio, alius animo labor . . . . cum assuevit animus fastidire, quæ ex more sunt, & illi pro sordidis solita*

(k) *Epist.* 114.

ta sunt, etiam in oratione, quòd novum est, quærit &c. Exemplo esse poterunt Gothorum tempora, quibus gens hæc relicto bono gustu Architectonicæ Romanæ inconditas ædificiorum moles struxerat, ponderosis crassisque ornamentis prægraves, absque debita proportione, vix ulla cum symmetria. Et ecce! non minus ævi illius Auctores inconditum, impolitum, inordinatum, multisque hiatibus patens scribendi genus sunt amplexi, uti testantur librorum monumenta posteritati relicta.

Quapropter nihil magis cordi habere deberent Doctores atque Magistri, quam ut bonum & sobrium literarum disciplinarumque, quibus præsunt, gustum juventuti a se informandæ tum a teneris instillent, tum solicite eundem conservare, ac perpetim excitare studeant, cogitentque se grandis hujus ut vocant *Depositi* custodes esse constitutos. Consuetudines, leges, mores populorum, quin & artes ac scientiæ continuo variant. Multa quæ olim velut sacrosancta habebantur, hodie ne usui quidem sunt, & moribus nostris repugnant: quædam quæ prius rara, maximique pretii erant, nunc ipsa copia viluerunt: regnorum quoque ac rerum pu-

blicarum multarum forma, gubernandi ratio, totaque facies ita mutata est, ut nil fere præter umbram prioris nostris temporibus superstes relictum sit. At bonus & genuinus gustus super principia immobilia stabilitus omni tempore idem est, ac esse debet, atque in omnibus artibus & scientiis dominari. Sine hoc (qui ut initio dicebam, consistit in virtute quadam ac vi discernendi, sanumque ferendi judicium, quid in unaquaque disciplina nitidum, nobile, decorum, splendidum, quisque proprius ejusdem character sit) sine hoc inquam nihil recte agitur, neque unquam ad perfectionis apicem pervenitur. Nihil est pulchrius, nihil utilius historia, sed qui contentus est onerare memoriam infinita rerum & factorum multitudine indigesta, totamque solicitudinem Chronologiæ ac Geographiæ difficultatibus enucleandis impendit, quin cognoscere satagat genium, mores, characteres gentium, grandiumque heroum, quorum inibi mentio fit, cumque sui temporis genio & moribus diligenter conferat, parum se profecisse noverit. Nihil arte Oratoria magnificentius; sed qui in solo præceptorum, periodorum, troporum ac figurarum vestibulo se se detinet, nec ad interiora, in quibus vis argumentandi, urgendi, ele-

vandi consistit, & ad energiam splendoremque dictionis, & sententiarum majestatem penetrat, continget illi, quod Cicero prodidit de Cleanthe dicens (l): *Scripsit artem Rhetoricam Cleanthes, sed sic, ut si quis obmutescere concupiverit, nihil aliud legere debeat.* Philosophia nobilissimum studium est, sine quo vix scimus, quod in mundo vivamus. Quis neget? Verum si curiosarum duntaxat rerum, machinarum & effectuum mirabilium cognitione intellectum pascere juvat, nec solida circa res & opera naturæ ratiocinatione, certaque methodo universi totius harmoniam complecti satagis, & ad veritatem investigandam, morumque doctrinam animum advertis, vix aliud laboris stipendium præter barbam & pallium Philosophi promereberis. Quod de tribus dixi, hoc de cunctis artibus & scientiis dictum esse velim, memor illius, quod Quintilianus pronunciavit (m): *Illud dicere satis habeo, nihil esse, non modo in orando, sed in omni vita, prius consilio,* id est, bono gustu & judicio.

Hæc de artibus & scientiis universe dicta sufficiant. Nunc ad illas speciatim

(l) *De Finib. l.* 4.
(m) *Lib.* 6. *cap.* 6.

tim ea, qua in Procemio dixi, ratione ac methodo explanandas illustrandasque nos accingamus, ita tamen, ut in singulis non obliviscamur, quæ de universis in medium prolata fuerunt.



INDEX



INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI I.

P. Indicat Prooemium. L. Librum. N. Numerum Libri.

A.

In-

Al-

B.

Huic

C.

D.

E.

F. *Fa-*

H.

I.

Pro-

L.

Lin-

N. *Ni-*

Phi-

Rhe-

Non

T. *Theo-*

T.

V.



LIBER II.

DE

GRAMMATICA

SEU

LINGUA LATINA.



LIBER II.


LIBER II.

DE

GRAMMATICA

SEU

LINGUA LATINA.



EPITOME
LIBRI II.
DE
GRAMMATICA,
SEU
LINGUA LATINA.

CAPUT I.
ENCOMIUM ET VINDICIÆ GRAMMATICES.

§. I.
Necessitas & utilitas hujus artis.

I.

Grammatices disciplina, quamvis videatur exilis, jejuna, & litigiosa, minusque plausibilis, plurimum tamen utilitatis ac fructus reconditum habet.

II.

Grammaticæ ſtudium olim Romæ quantum floruerit. Illuſtres illius ibidem Præceptores. Damna neglectæ Grammatices.

§. II.

Vindiciæ Grammatices.

III.

Vindicatur Grammatica a querelis, quarum prima eſt, quod ſit ſolum ars puerilis. Ejus ignorantia magnam labem aſperſit medii ævi ſcriptoribus.

IV.

Vindicatur ab altera querela, quod ſit minium ligitioſa. Bella inteſtina Grammaticorum inter ſe. Officium probi Grammatici.

V.

Vindicatur ab alia querela, quod minus apta vel omnino inutilis ſit ad ſeveriores diſciplinas. Cauſſæ neglectus linguæ latinæ per aliquot ſecula invaleſcentis. Recenſentur aliqui, qui in diverſo

ſo literarum genere eleganter, ac polite latine ſcripſerunt.

VI.

Veteres ſcriptores de Grammaticæ diſciplina bene meriti. Inſignis de Grammatica tradenda locus e D. Hieronymo ad Lætam. Caroli M. Imp. ſtudium ad expurgandam a barbarie linguam latinam.

CAPUT II.

HISTORIA GRAMMATICÆ.

§. I.

Ortus, Progreſſus, & Occaſus linguæ latinæ.

VII.

Linguæ latinæ natales in Latio: inde Romam & in ſubjectas Provincias propagata fuit. Enumerantur quatuor ætates latinæ linguæ, & præcipui, qui in illis floruerunt. Miſera conditio hujus linguæ ſub barbaris Italiam invadentibus.

§. II.

Instauratio Linguæ Latinæ.

VIII.

Instauratio illius inchoata est jam Seculo VIII. & IX. sub Carolo M. & Lothario I. sed modico progressu. Refloruit autem XIV. Seculo. Scriptores præcipui bene meriti de lingua latina. Judicium de quatuor ætatibus latinitatis, & de vocum vi significandi.

CAPUT III.

OECONOMIA GRAMMATICÆ.

§. I.

Vestibulum Grammatices, seu literæ ac scriptio.

IX.

Inventio literarum. Varii modi scribendi ac pronunciandi apud Veteres. Scribendi materia subjecta, ubi de corticibus arborum, de tabulis, de membrana, papyro, & charta, deque atramento: de instrumento scriptionis seu de stilo & calamo.

§. II.

§. II.

Definitio, & Partitio Grammaticæ.

X.

Quid ſit Grammatica: hanc dividunt aliqui in bene loquendi ſcientiam, & in Poetarum ac Hiſtoricorum enarrationem: alii in Artificialem, Hiſtoricam, & proprie dictam Grammaticam: alii hodie melius in Theoreticam, quæ in præceptorum cognitione, & in Practicam, quæ in exercitatione verſatur.

XI.

Paucitas eorum, qui veram germanamque latinitatem callent. Differitur de cauſſa hujus rei. Dotes genuinæ latinitatis, ſcilicet latini ſermonis proprietas, elegantia, & copia.

§. III.

Prima dos linguæ latinæ: *Proprietas.*

XII.

Agitur de proprietate verborum. Propria ſunt, quæ communi hominum eloquentium uſu & conſuetudine ſunt adprobata. Fugienda novata, barbara, & obſoleta. Superſtitioſum eſt, nolle uti vocabulis aliis, quam ex aurei argenteive ſeculi ſcriptoribus. Enumerantur auctores probi in quavis artium & ſcientiarum claſſe.

XIII.

Oſtenditur, qua ratione utendum vocabulis vetuſtis: item quando novis, ſcilicet ſi neceſſitas, vel auctoritas, aut utilitas ſuadet. Commendatur Adparatus Eruditionis Pexenfelderi, & Dictionarium Pomeii Soc. Jeſu.

XIV.

Agitur de proprietate ſententiarum. Vitandi idiotiſmi. Conſuetudo ex eruditorum conſenſu ſumenda.

§. IV.

Secunda dos linguæ latinæ: Elegantia.

XV.

Sermo latinus non ſolum ſit emandatus, ſed etiam elegans. Oſtenditur in quo ſita ſit hæc elegantia. Agitur de ſelectis loquendi modis.

XVI.

Quatuor, quæ elegantiam conciliant linguæ latinæ. 1. *Aptus particularum, præpoſitionum, proverbiorum, conjunctionum uſus.* 2. *Verborum collocatio recta.* 3. *Flores latinitatis ſeu phraſes ſelectæ.* 4. *Idoneus par-*

tium omnium sermonis nexus. Singula exemplis illustrantur.

XVII.

Deteguntur spuriæ elegantiæ, & reprehenduntur, qui harum ope de latinitatis sublimi gradu vane gloriantur.

§. V.

Tertia dos: Verborum copia.

XVIII.

Paucitas eorum, qui copiose loqui ac scribere norunt. Hac in re excelluit Cicero. Verborum ac sententiarum copia paratur sex modis: 1. Synonimia. 2. Ennalage. 3. Periphrasi. 4. Metaphora. 5. Comparatione. 6. Æquipollentia. Cavenda in oratione nimium frequens variatio, & inutiles circuitus vitandi.

CAPUT

CAPUT IV.

STILUS, SEU DIVERSA DICENDI GENERA.

§. I.

Varietas ſtili.

XIX.

Natura & ars ad ſtilum concurrere debent. Eſt varius in eodem etiam auctore pro rerum varietate. Scriptores facile e ſtilo cognoſci & diſcerni poſſunt.

XX.

Agitur de ſtilo Laconico, Attico, Aſiatico, Rhodio. Explicatur cujusque indoles, & exemplis oſtenditur, quas quilibet horum dotes habeat.

XXI.

Differitur de ſtilo tenui, mediocri, & magnifico. Deſcribitur triplex hæc claſſis. Quinam Veterum in qualibet eminuerint.

§. II.

Subſidia ſtili.

XXII.

Horum primum eſt lectio auctorum ordinata; & cum animadverſionibus ad proprietatem, ad elegantiam, ad diverſitatem, & ad copiam ſermonis.

XXIII.

Alterum ſubſidium eſt imitatio. Alia convenit tyronibus, alia provectiori in hoc ſtudio ætati. Duo vitanda in auctorum imitatione.

XXIV.

Tertium subsidium exercitatio, quam quotidianam fecit Hortensius. Gradus exercitationis: 1. Conversio ex una in aliam linguam. 2. Variatio sententiarum. 3. Amplificatio. 4. Characterum expressio. Quinam de stilo præclare scripserint.

CAPUT V.

METHODUS DOCENDI, DISCENDIQUE GRAMMATICAM.

§. I.

Critice circa methodum docendi.

XXV.

Opiniones variæ circa methodum docendi. Rectum hac de re judicium proponitur, & contra Novatores ostenditur, antiqua non esse contemnenda,

da, vel leviter rejicienda, ſed ubi opus eſt, emendanda vel potius perficienda.

XXVI.

Societas Jeſu in ſuis gymnaſiis methodum docendi antiquitus conſtitutam retinere ſatagit. Afferuntur rei hujus graves rationes, & teſtimonia ſcriptorum Catholicorum æque ac Acatholicorum.

XXVII.

Societas Jeſu methodum ſuam pro rerum ac temporum viciſſitudine magis perficere ſemper ſtuduit. Oſtenditur hoc e ſcriptoribus noviſſimorum temporum de docendi methodo.

XXVIII.

Exponitur palam tota oeconomia doctrinæ ac methodi, qua Jeſuitæ utuntur circa tradendam cum fructu Grammaticam in ſuis Gymnaſiis.

§. II.

§. II.

Critice circa methodum discendi.

XXIX.

Refellitur querela eorum, qui nimis diu juventutem in Scholis Grammaticæ detineri criminantur. Multa alia præter linguam latinam utilissima addiscunt Adolescentes toto eo tempore. Rejicitur festinatio nimia ex Quinctiliano.

XXX.

Refellitur querela aliorum, qui multitudine regularum ac præceptorum obrui juventutem clamitant. Ostenditur ex sola auctorum lectione addisci non posse linguam latinam.

XXXI.

Nullus fructus est sperandus absque cognitione regularum & artificii. Adferuntur exempla tum Romanæ juventutis, tum aliarum artium. Gravissi-

mum

mum hac de re testimonium Ludovici Vives.


XXXII.

Refellitur illorum querela, qui ajunt, vix ullum fructum referri ex institutione juventutis hodierna. Aliæ longe caussæ, ac veriores modici apud multos profectus adducuntur.



LIBER

Digitized by Google



LIBER II.

DE GRAMMATICA, SEU LINGUA LATINA.

CAPUT I.

ENCOMIUM ET VINDICIÆ GRAMMATICÆ.

§. I.

Necessitas & utilitas hujus artis.

I.

De Grammaticæ disciplina quoniam omnium primo loco differere constitui, ipso statim in limine opus esse video, ut illorum seu admirationi seu querelæ occurram, qui

artem hanc, qualemcunque demum, nimis exilem, & apinis adnumerandam eſſe judicant, atque indignam cenſent, ut in corona Virorum literatorum compareat; & in menſam inferatur tanquam primi miſſus ferculum, quod ipſis adeo pueris ut plurimum nauſeam ſolet excitare. Neque enim ex univerſis ullum diſciplinarum genus tantopere moleſtum eſſe videtur, macrum, & ſine ſucco, quam eadem Grammatica, utpote quæ nonniſi literarum, ſyllabarum, nominum ac verborum, & quæ ſunt hujusmodi, horumque omnium certo quodam ordine, ſymmetria & proportione ponendorum ambitu (exiguis ſane finibus) continetur, atque in venatione ſolœcismorum magnam, immo potiſſimam partem occupatur. Ut nihil dicam de Grammaticorum futili logomachia, & circa literarum quisquilias bello plusquam Trojano, ad quod extinguendum utinam tantum animi & virium ſemper adferrent, quam ad incendendum. Hæc quæ vulgo dicuntur, an & qua ratione vera ſint, aut veri ſpeciem præſeferant, paullo poſt amplior dicendi campus ſe ſe aperiet.

Nunc præclara illa M. Fabii Quinctiliani ſententia ſe mihi offert, quam protulit, quum de hac ipſa Grammaticæ diſciplina diſpu-

disputat (a): *Operum fastigia spectantur*, inquit, *latent fundamenta.* Quæ verba Oratoris æque ac Grammatici summi sic intelligenda esse censeo, nimirum scientiis & bonis artibus idem fatum obtingere, quod ædificiis, in quorum duntaxat fastigium, quod supra solum eminet, spectantium oculi feruntur, parum curiosi substructionis, ac fundamenti sub terra latentis, quod tamen præcipuum est, in quo Architecti labor & industria exerceri debet, ne hoc temere jacto, aut male materiato reliqua moles omnis, quantumvis pulchra & augusta, corruat, & in pristinum chaos relabatur, e quo sumta est. Ita profecto cæteræ artes atque scientiæ, Poesis, Eloquentia, Philosophia, Mathesis, Medicina, Jurisprudentia, Theologia, & quæ aliæ sunt, illustre quid habent, suoque fulgore procul etiam intuentium oculos perstringunt, aut velut in convivio quodam suaviter palatum afficiunt, dum cibis solidis, opiparis, dapsilibus & optime conditis hospites suos recreant. Contra vero Grammaticæ ars, de qua loquor, literulas, vocabula, declinationes, numeros, genera, conjugationes, idiotismos, phrases, & his similia velut

(a) *L. I. Instit. Rhet. in Prolog.*

velut cruda legumina & nuces ad famem pellendam adponit.

Nihilominus fateri oportet, eandem Grammaticæ diſciplinam, licet minus habeat plauſus & oſtentationis, plus tamen utilitatis ac fructus in ſinu ſuo reconditum circumferre. Eſt enim fundamentum reliquarum artium & ſcientiarum omnium, quæ ſine illa neſcio quid rude, impolitum, inſipidum & graveolens præſeferunt; parum dico, etiam multa barbarie fœdantur, & totum fere decorem ſuum peſſumdant. Hujus rei triſte experimentum dedit illud, quod *medium* vocant, *ævum*, quando toti Romano Imperio, latiſſime tunc patenti, bellorum moles ex ultimis terræ finibus excita incubuit, & omnem pene Europam barbarici exercitus inſtar locuſtarum Ægypti & ranarum inundarunt. Pro! quantis ſub id tempus tenebris ſcientiarum ſol immerſus latuit, quantumque amœnam faciem ſuam ac benignos radios Phœbus orbi ſubtraxit! Non in mores ſolum, ſed in linguas quoque barbaries ſe ſe transfudit, & miſera contagione univerſas ſcientias adflavit, immo propemodum extinxit, quæ priſtino vigori haud poterant reſtitui prius, quam pauci quidam, ſed docti Grammatici, prima linguæ latinæ elementa, & cum

his

his puritatem ac elegantiam ſermonis quaſi poſtliminio revocarent, & Augiæ barbarici ſtabulum a ſordibus purgarent. Tunc enim vero ſepultæ inter ruinas Imperii liberales artes ac diſciplinæ caput cœperunt erigere, ac perpetuis auctæ incrementis in eum, quem hodie intuemur, ſplendorem ac majeſtatem excreverunt. Actum fuiſſet de illis, & in hanc diem ſub jugo ſcythico gemerent, niſi vincula rupiſſet Grammatica, & e carceris ſquallore in lucem eas extraxiſſet.

II.

Sed redeamus ad antiqua tempora, quibus vel ſola utilitas commendaſſe videtur Grammaticen, ad cujus poſtmodum curam & ſtudium uti vidimus, neceſſitas ipſa nos compulit. Poſt Syllæ Dictatoris ætatem (b) Romæ adeo vulgatus erat latini ſermonis uſus, ut eum ſub ubere matris parvuli velut cum lacte ſugerent, nec Romanus haberetur, qui non idem foret Latinus, ita ut arte ac præceptis opus eſſe non videretur ibi, ubi naſcendi conditio & uſus quotidianus Magiſtrorum munus obibant. Nihilo tamen minus Gramma-

(b) *Suetonius lib. de Illuſt. Grammat.*

maticæ cura tanta fuit, ut teste Suetonio viginti & plures scholas non ignobiles una Urbs Roma in gremio suo foverit, & ingens Grammaticis minerval constituerit ad acuendam tum docentium, tum discentium industriam. Fuerunt autem illustres ante alios artis hujus Præceptores Romæ *Savius Nicanor*, qui primus docendo famam adeptus est: *Didymus*, quem omnibus Grammaticis Macrobius antepofuit: *M. Antonius Gnipho*, cujus scholam M. Tullius post forensia negotia frequentabat: *Orbilius Pupillus* justo acerbior in reprehendendo, & plagosus: *Q. Cæcilius*, ad quem Cicero epistolas aliquas exaravit: *Verrius Flaccus*, qui docuit in atrio Domus Catilinæ, & Sestertia centum (c) in singulos annos mercedis loco tulit: *C. Julius Hyginus*, Bibliothecæ Palatinæ Præfectus: *M. Valerius Probus*, qui totus fuit in antiquorum scriptis emendandis, discriminandis, & adnotandis: *Asinius Pollio Trallianus*, qui bellum civile Cæsaris & Pompeji scripsit: *Spurius Carbilius*, inventor literæ *G.* cujus loco Veteres Romani *C.* adhibuerunt, ut ex antiquis inscriptionibus patet. Accessit & aliud non minus grande testimonium solicitudinis atque æstimationis, qua in disciplinam istam

(c) *Seu florenos* 3333.

ſtam ferebantur Quirites, quum Clariſſimi Viri, toga ſagoque nobiles, inter quos Julius Cæſar & Corvinus Meſſala, de ſingulis literis ſingulos conſcripſere libros, ut juvenes magni facere, colereque diſcerent hanc artem, cui operam laboremque ſuum ipſi civitatis Principes tot inter Reipublicæ negotia graviſſima indulgerent.

Hanc autem apud Romanos impenſam Grammaticæ curam non fuiſſe ſupervacaneam, nec noſtris eſſe temporibus, facile intelliget, qui attentius damna non mediocria pependit, quæ illius neglectus tanquam infauſtam appendicem poſt ſe trahere conſuevit. Quis non videt, immo quis non manibus palpat ſexcentos errores, qui tum in Poeticis, Oratoris, Hiſtoricis, tum in Medicis, Juridicis, Theologicis, aliarumqne diſciplinarum lucubrationibus ac libris non raro utramque paginam implent? Quam ſæpe inepta occurrit interpretatio? quantopere claudicat, vel diſſoluta incedit oratio; quanti hiatus periodorum, lacunæ ſententiarum, dictionis obſcuritas, œconomiæ totius miſera compages, aliaque innumera latinitatis menda ſe produnt? Id quod neutiquam accideret, ſi hujusmodi ſcriptores, dicam

an Rhyparographi, prius Grammaticam sedulo addiscerent, antequam ad scribendum seu animum seu calamum adjicerent. Novi quemdam, dum Eloquentiæ docendæ operam daret, & ut fieri amat, discipulorum pensa scholastica ex altiore loco reliquis audientibus prælegeret, laudanda quæ bene, quæ vero perperam scripta essent, reprehendenda & corrigenda; novi inquam, eum non absque consilio & studiose nonnunquam illa duntaxat sphalmata in scriptionibus istis notasse, quæ tum contra Ortographiæ ac Grammaticæ præcepta, tum contra latini sermonis integritatem, vocabulorum propriam vim & potestatem, verborumque in unam aliquam sententiam conspirantium ordinem atque concentum admissa fuisse reperit; luculenter hac via demonstrans, partim quam jejuna, hispida, scabra, & sine sale ac pipere, uti loquimur, injucunda prodeat oratio ex neglectu vel inscitia legum & arcanorum Grammatices, partim quam splendida & ornata incedat, si hisce cimeliis, quibus tam exiguum multi pretium statuunt, probe vestita compareat. Aliquando etiam ejusmodi pensa, cæteroqui non mala, quin & quandoque egregia, arrepto stylo paucis expunctis, nonnullis adjectis, quibusdam mutatis, vel

vel in ordinem meliorem redactis, ita castigabat, ut modicis sumtibus longe aliam & oratore, quantum fert tenera ætas illa, dignam faciem induerint. Atque hac ratione illud est consecutus, quod sibi proposuit, scilicet ut multi juvenes optima indole ac præclaro ingenio prædito & intelligerent necessitatem famulatus, quem Grammatica Eloquentiæ præstat, & cautiores simul fierent, ne illius destituti præsidiis deinceps hallucinari pergerent, atque res bonas malo usu corrumperent. Hæc experientia docuit: pridem vero id ipsum Quinctilianus observavit (d): *Quo minus* inquiens, *sunt ferendi, qui banc artem* (de Grammatica loquitur) *ut tenuem ac jejunam cavillantur; quæ nisi Oratoris futuri fundamenta jecerit, quicquid superstruxeris, corruet.* Tum hoc eleganti epiphonemate concludit: *Grammatica necessaria pueris, jucunda senibus, dulcis secretorum comes, & quæ vel sola ex omni studiorum genere plus habet operis quam ostentationis.*

§. II.

(d) *L. 1. Inst. Rhetor. in Prolog.*

§. II.

Vindiciæ Grammatices.

III.

Juvat nunc audire querelas & cavillationes quibus honestissimam hanc disciplinam semi-doctorum vulgus passim impetit. Sunt, qui eam temnunt, tanquam artem puerilem, & balbutientis linguæ severam ac tristem magistram, quæ nonnisi voces inflectere, nomina declinare, conjugare verba, numeros & tempora metiri, genus masculinum a fœminino, fœmininum a masculino, & ab utroque neutrum distinguere docet, nec nisi de hisce inaniis tota die disserere novit. Ita ineptum Rhetorem, nec magis aptum Grammaticum, Rufonem Pictaviensem olim perstrinxit amaro carmine Ausonius, dum sic illum loquentem producit:

Rufus vocatus Rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit ut in convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit Nuptiis:
Et masculini & fæminini gignite,
Generisque neutrius filios.

Pueris igitur relinquenda, inquiunt, hæc ars, quibus quotidie plagosus & virgator ad-

adſtat Orbilius. Enimvero pueris traditur Grammatica, quis neſcit? ſed iccirco traditur, ut juvenes primis elementis ad majores in latino ſermone progreſſiones faciendas promoveantur, & Viri firmam cui inſiſtant baſin habeant, cuique reliquam ſcientiarum molem tuto poſſint ſuperſtruere: nec enim ad ullius rei ſummam niſi præcedentibus initiis perveniri poteſt. Nam ut recte notat D. Hieronymus (e); *Non ſunt contemnenda tanquam parva, ſine quibus res magnæ conſiſtere non poſſunt.* Cur non item Muſicam, Poeſin, & Philoſophiam rejicimus tanquam artes pueriles, in quibus æque parva & exilia ſunt primordia? in Muſica, ubi primum per omnes humanæ vocis ſonos, quaſi per gradus aſcenditur & deſcenditur, moleſtiſſimo plane aurium & oris labore; atque guttur ad modulos Lydios inſtar ſerpentis in omnem partem torquetur: in Poeſi, ubi carminis pedes in digitis numerare jubemur, & verſus, ut ajunt, ſcandere non ſine frequenti lapſu & crurifragii periculo, nec non oculos in ſyllabarum quantitatem aſſidue intentos habere, plusquam navarchus in pyxidem nauticam: in Philoſophia, ubi per ſpinas Dialecticæ cruentis pedibus incedendum, & per

(e) *In Epiſt. ad Latam.*

per terminorum anfractus ac syllogismorum mille modos & figuras *directe, indirecte, reflexe* ambulandum est, donec *pons asininus* superetur. Cur inquam non his quoque artibus tanquam puerilibus in republica literaria igne & aqua interdicimus? Quamvis quum de Gramatica heic mihi sermo est, non eam intelligo, quæ solummodo in minutiis ejusmodi ceu colligendis, quæ cadunt e mensa, micis occupatur: longe ampliores sunt illius fines, & complectitur in se, quidquid intra latinitatis puræ, elegantis ac copiosæ ambitum continetur, quemadmodum brevi palam fiet. Verum sit disciplina hæc puerilis, talis tamen est, qua carere probrosum est Viris. Negari haud potest, fuisse summi ingenii scriptores, medio etiam ævo, qui de variis sublimibus scientiis divine commentati sunt; sed stylo tam lutulento, tam legum grammaticarum experte, ut legentem quantum doctrinæ præstantia oblectent, tantum dictionis squallore offendant. Quin etiam illis, quibus primo in flore fuit latina lingua, temporibus aureis, & quidem in ipsa Urbe Roma, grammatices vel neglectus vel inscitia labem non modicam publicis monumentis aspersit. Ejusmodi sordida quædam vestigia producit eruditus

in

In paucis Antonius Ludovicus Muratorius (f), nimirum inſcriptiones nonnullas imperante Cæſare Auguſto Romæ poſitas, poſtea vero extra urbem in via Appia effoſſas An. Chr. 1726, & in lucem editas a Cl. V. Franciſco Blanchinio (g). Inter cæteras etiam hæ ſunt:

Dis Manibus
... S. Aug. Lib. Bathyllus Æditus
(*pro Æditus*)
Templi Divi Aug.
II. & Divæ Auguſtæ, quod eſt in Palatium
(pro *Palatio*)
Immunis & Honoratus.
* *

Telephus Liviæ L.
Dat
Fufiæ Clymene & Fufiæ
Euche. Sorores (pro *Sororibus*).
* *

Gemina L. Auguſtæ
Ornatrix.
Irene ſua dat olla (pro *ollam*)

Aliam adhuc corruptam ſuppeditat Mabillonius, peritiſſimus antiquitatis ſcrutator

(f) *De Antiq. Ital. Tom. II. Diſſert.* 32.

(g) *In lib. Inſcript. Sepulchr. Libert. & Serv. Aug.*

tator (h) ſub titulo : *Veterrimæ inſcriptionis Romanæ, ab Hieronymo Alexandro brevi commentario explicatæ*, quæ ſic habet:

HONC. OINO. PLOIROME. CONSENTIONT. R.
DUONORO. OPTUMO. FUISE VIRO.
LUCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI.
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FUET.
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQUE. URBE.
DEDET. TEMPESTATEBUS. AIDE. MERETO.

Hanc vero Vir Eximius Sirmondus ita legendam cenſet:

Hunc unum plurimi conſentiunt Romæ
Bonorum optimum fuiſſe Virum
L. Scipionem. Filius Barbati
Conſul, Cenſor, Ædilis hic fuit.
Hic cepit Corſicam Aleriamque urbem.
Dedit tempeſtatibus ædem merito.

id eſt: *ædem Tempeſtati Deæ ſacram ſtatuit ex voto.*

IV.

(h) *In Supplem. de re Diplom. cap.* 3.

IV.

Alii averſum a Grammatica gerunt animum propterea, quod nimium quantum ſit litigioſa, & altera Xantippe, cum qua domi pacem colere nemo ſapiens poſſit, niſi Socratis pallio involutus. Certe perpetua ſine induciis bella inter Grammaticos fervent, atque interneccina; & quidem circa res viliſſimas paratragædiare dudum conſueverunt, circa *literulas, ſyllabas, nomina, pronomina, verba, caſus, genera, gerundia, ſupina*, & quæ ſunt alia. Indecoras ejusmodi pugnas hominum iſtorum facile intelliget, qui Poggii & Petri Rami cum Valla, Politiani cum Scala & Merula, Scaligeri cum Sanctio, Scioppii cum Donato & Probo certamina de verbulis & ſententiolis leviſſimis, de nugis nugaciſſimis legerit: Similia produnt de literarum ſignificantia Strabo (i) & Rutilius (k), de vocum flexione Gellius (l) de verborum pronunciatione Petrus Suffridus, & alii. Nimirum immortalitati nomen ſuum transſcribere ſibi videntur hi Logodædali, quum de rebus iſtis nauci floccique inter ſe certant

(i) *Lib.* 4.
(k) *In vita Publii Rutilii.*
(l) *Lib.* 2. *cap.* 25. *Noct. Attic.*

tant tantis ſtudiis, quantis nec Reges & Imperatores de Provinciis ac ditionibus integris, pugnantque adeo fortiter adverſus eos, qui ſecus quam ipſi ſentiunt, ac ſi contra rempublicam conjuratum fuisſet. Ita de Franciſco Philelpho Tolentinate, Emmanuelis Chryſoloræ genero prodit Jovius (m), quod cum Timotheo quodam Græculo de vi ac poteſtate cujusdam ſyllabæ contendens barbam victo inexorabili ſuperbia deraſerit: hac enim ratione inter eos convenerat prius, quam in Grammaticæ diſputationis arenam deſcenderant, ut barba victus mulctaretur. Quoties non Latinitatis modo, ſed ſeveriorum etiam diſciplinarum Cenſores ſemetipſos conſtituunt, & dictatoriam quandam poteſtatem in ſapientum quasvis lucubrationes grandi ſupercilio exercent; de qua re pridem conqueſtus eſt Horatius (n):

Men' moveat cimex Pantilius? aut crucier, quod
Vellicet abſentem Demetrius? aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
- - - - - - Demetri teque Tigelli.

Diſci-

(m) *Orat. 2. de util. ling. Græc.*
(n) *Satyr. ult. l. 1. Serm.*

Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Adeo antiquis temporibus hæc arrogantia (qua nec nostra omnino carent) invaluit, ut neque ipsis Imperatoribus parcerent Grammatici, quos inter dicacitate sua eminuit M. Pomponius Marcellus, quem quum Tiberii Cæsaris dictum minus latinum in ejus oratione, quam ad Senatum habuit, palam reprehendisset, Attejus Capito illud esse latinum, vel certe futurum esse defendens salse castigavit: *Jam inde mentitur*, inquit Capito Tiberium intuens, *Tu enim Cæsar civitatem dare potes hominibus, verbis non potes?* Suetonius vero dignum epiphonema adjungit his verbis: *Tanti igitur Imperator Grammatico non fuit; ut Grammaticæ legibus solveretur?* Neque recentiora tempora hoc caruisse vitio videntur. Ita memoriæ prodidit Cuspinianus, in Synodo Constantiensi Sigismundum Imperatorem oppido disertum, & multiplicis linguæ peritum, quum *Schisma* masculino, non neutro genere, ut Grammatici docent, protulisset, a Cardinale Placentino interpellatum fuisse; cui tamen e vestigio non sine sale respondit Sigismundus: *Placentine, Placentine, ut omnibus placeas, minime nobis*

placet, qui minoris nos auctoritatis existimas, quam Priscianum Grammaticum, quem offendisse me asseris: quæ festiva Cæsaris excusatio maximo omnium qui aderant, cachinno excepta fuit. Verum his, qui ejusmodi querelarum genus adferunt, breviter respondeo, non Grammaticæ vitium id esse, sed Grammaticorum quorundam, quibus vel curta domi supellex, unde ad disciplinæ hujus litus sedentes puerorum instar margaritis neglectis certant invicem de conchis, & ubique in scirpo nodum quærunt; vel quibus triste nimis ac severum ingenium cum Aristarcho & Aristophane obtigit, ita ut nihil prætermittant, nisi virgula censoria notatum castigatumque. Hi ubi potestatem arrogantius sibi sumunt, atque mordacius aliorum dictis oblatrant, merito sunt explodendi cum illa sua facundia canina, dicique in aurem ipsis potest: *Quomodo sunt boni, quibus bonus est nemo?* Ita fit, ut artes optimæ ac utilissimæ in invidiam vocentur, dum imperiti aut temerarii artifices earum exercitatione abutuntur, malumque usum ad bonas artes secum adferunt. Manet sua laus & honos illis Grammaticis, qui de integritate ac copia verborum, de varietate splendoreque sententiarum, deque latini sermonis genui-

genuina indole rectum ferre judicium norunt, legitima scripta secernunt a spuriis, antiqua faciunt nova interpretatione sua, & quæ multo explicant labore, dictionis etiam fulgore illustrant. Atque hi sunt pro merito suo ex illa Gtammaticorum classe, quos Veteres adpellabant Criticos, dum bene digesta κριτήρια seu adnotamenta proferunt cum ingenti & reipublicæ literariæ emolumento, & bonarum artium incremento. Sed de his plura dicendi locus erit postmodum.

V.

Nunc aliorum criminatio diluenda est, qui Grammaticam vilipendunt, ac si minus apta, vel omnino inutilis foret ad severiores disciplinas, Philosophiam, Medicinam, Jurisprudentiam sacram & profanam, Theologiam &c. Quippe isti, nescio quo pacto sibi persuadent, atque aliis etiam persuasum cupiunt, quasi scientiarum genus istud latinitatis nitorem ac elegantias subtilitate sublimitateque sua aspernaretur, & instar ferocis equi sessoris Grammatici foret impatiens. Et vero non ita multis abhinc seculis, quibus literaria respublica necdum a sordibus ab eluvione barbararum gentium relictis expurgari potuit, Scholasticorum turba ad clavum se-

dente, omnis fere nitor & locutionis ornatus in tradendis sublimioribus disciplinis exulabat; cujus rei multiplex reddi potest ratio. Quippe partim fontibus aut infectis aut omnino exsiccatis aqua pura defecerat, nec verba reperire fuit, quibus rite animi sui sensa explicarent: partim res a sensibus valde remotas, & vix naturæ ipsi cognitas dum tractarent, sermonis quoque naturam immutarunt, & novis rebus nova quærebant vocabula, non ex usu legitimo, sed ex cerebri sui officina: partim subtilibus intenti quæstionibus, dum laudem ingenii ac ostentationem avidius venabantur, sermonis cultum curamque neglexere: partim timor pannicus eos subiit, ne cum hæreticis conspirare viderentur, qui erroribus suis splendorem, vel potius fucum e Grammaticæ gazis conciliarunt. Ita factum, ut illis temporibus multa linguæ barbarie doctorum cæteroqui hominum & libri & cathedræ conspucarentur, & scientiarum aquæ saluberrimæ impuris propinarentur cyathis. Certe Ludovicus Vives, Scriptor non inelegans (o) id ipsum queritur his verbis: *Quoties*, inquit, *illud mihi Joannes Bullardus* (p) *ingessit: quanto eris melior Grammaticus, tanto*

(o) *L. 2. de causis corrupta Grammatica.*
(p) *Gandavensis, docuit Philosophiam Parisiis.*

tanto pejor Dialecticus & Theologus. Sed hæc criminatio tanti non eſt, ut illos ſapientiæ candidatos, qui ad ſublimiores ſcientias animum adjiciunt, a Grammaticæ cultu amoreque violenter abſtrahat. Equidem ſatis deploratum credi poſſet ævum illud, quo tam fœda lues bonas artes plurimum corrupit atque vaſtavit: iraſcamur itaque plus tempori, quam ſcriptoribus, quorum ſane multorum id duntaxat crimen eſt, quod in mala tempora inciderint. Quam ſublimia fuerunt ingenia S. Thomas, Scotus, Cajetanus, Bartholus, Baldus, Accurſius, & alii (nam & his non parcit maledica Criticorum quorundam lingua & calamus) quam in divinis humaniſque juribus & naturæ arcanis ſcrutandis acria, in explanandis perſpicacia? ſed eo ſeculo nata, quo politiores literæ aut conciderant, aut in ſacra profanaque eorum ſepta non penetraverant, qui rerum potius, de quibus ſcripſerunt, dignitati utilitatique, quam ſermonis ornatui ac gloriæ ſerviebant. Verum miſſa faciamus Media hæc tempora: repetamus & vetuſtiora & luſtremus propinquiora. Niſi mea vehementer me fallat opinio, ætates iſtæ Grammaticæ artem omni crimine objecto quamprimum abſolvent. Platonem & Ariſtotelem conſule:

fule: nihil ſtylo Platonico in græca lingua magis nitidum, nihil Ariſtotelis dictione magis eloquens, quem ipſe Cicero *aureum Eloquentiæ flumen* nuncupare non dubitavit, quod vel maxime adparet in Moralibus, quæ prima in lucem edidit, quamquam in Phyſicis ob brevitatem, quam explicandi methodus poſcebat, conciſior fuerit, quandoque etiam conſulto obſcurior. Non minus utriusque Philoſophiam ſermone admodum culto expoſuerunt Theophraſtus, Alexander Aphrodiſienſis, Themiſtius, Simplicius, item Joannes Grammaticus, & Ammonius. Adi antiqua Chriſtianæ Theologiæ lumina Clementem & Athanaſium Alexandrinum, Juſtinum, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Joannem Chryſoſtomum, Theodoretum, aliosque Patres ac Eccleſiæ Doctores; & continuo videbis, quantam eloquentiæ vim & copiam in ſacrum hoc forum iſti ſecum adtulerint, vix non invidendam ab ipſis Romani eloquii principibus, quamvis rhetoricis floribus & grammaticæ cimeliis abſtinuerint, aptis potius ad profananda, quam auguſte exornanda rerum divinarum ſacraria (q). Excute demum poſtrema tempora, qui-

(q) *Pluribus iſta exponit Ant. Poſſevinus S. J. de cult. ingen. c. 15. & 16.*

quibus post abstersam barbaricarum linguarum fuliginem incredibili studio conatuque doctissimorum virorum & præstantium Grammaticorum bonæ artes pristinæ sedi, & sincera latinitas primævo splendori dignitatique suæ restituta fuit; eodem sane momento intelliges, bonas cum bonis linguis artes posse facilius, quam cum barbarie copulari, maximosque scriptores omne disciplinarum genus accuratius & rectius purissimo sermone fuisse complexos. Paucos e plurimis adduco:

Franciscum Petrarcham, qui primus fere mitiores Musas ab exilio revocavit in Italiam.

Julium Scaligerum Italum, & patre etiam majorem Josephum Scaligerum in Gallia natum, qui duo eruditionis reconditæ velut Dii quidam ævo suo sunt habiti.

Michaelem Pexenfelderum & Franciscum Pomey S. J. qui tot rerum adpellationes novas, technicasque voces congesserunt, ut de omnibus vitæ communi necessariis rebus latine loqui possimus.

Franciscum Wagnerum S. J. Viennæ Austriæ, immortaliter meritum de sermonis latini casto usu, ac nitore, ejusque discendi methodo.

Paulum Minutium, Antonium Muretum, Perpinianum, et Josephum Juvencium S. J. eloquentiæ tum sacræ tum profanæ Proceres.

Famianum Stradam, Romanum S. J. bellum & res gestas in Belgio exquisitissimo & Liviano stylo describentem: Masfeium & Turselinum S. J. Tacito & Cornelio Nepote non inferiores: quibus adde Sfortiæ Pallavicini S. J. Historiam Concilii Tridentini, Romana & gravi eloquentia translatam ex Italica lingua in latinam.

Justum Lipsium, qui in Romanis rebus explanandis, & Stoicorum Philosophia doctrinaque politica illustranda non sine plausu desudavit.

Jacobum Sannazarium, cui carmen de partu Virginis 30. annorum labore stetit: & Jacobum Balde ac Mathiam Sarbievium S. J. Horatio ac Juvenali pares.

Conimbricenses S. J. Patres, qui *in Curriculo Philosophiæ* sincerissimam philosophandi methodum cum aptissimo dicendi genere conjunxerunt: Fortunatum Brixiam Ord. Min. Josephum Mangoldum & Bertholdum Hauserum S. J. qui recentiorem Philosophiam non sine styli elegantia conscripserunt.

Mel-

Melchiorem Canum Ord. Præd. Dionyſium Petavium S. J. Cœleſtinum Sfondrati Ord. Bened. Leonardum Leſſium S. J. noviſſime Honoratum Tournelium Doctorem Sorbonicum, qui ſubtilitatem Theologicam cum latini ſermonis gratia feliciſſimo fœdere conciliarunt.

Taceo Philologos præclariſſimos Polydorum Vergilium, Eraſmum, Nicolaum Cauſſinum & Antonium Poſſevinum S. J. Jacobum Gretſerum S. J. Antonium Muratorium, Bibliothecæ Mutinenſis Præfectum, aliosque qui copioſiſſimam eruditionis ſupellectilem cum maxima ſermonis elegantia venalem exhibent orbi literato. Hoc univerſim de iſto quod vivimus ſeculo licet aſſeverare, a multitudine potius quam ab inopia literatorum hominum eſſe timendum, ſcilicet ne dum omnes in omnibus diſciplinis eruditi cupiunt videri, pauci ſint qui veram literarum laudem ac præmium conſequantur.

VI.

Nihil itaque, ut hactenus liberaliter demonſtraſſe me credo, Grammaticæ officere poſſunt querelæ ac criminationes, quas ſeu doctum ſeu indoctum vulgus vel ex præjudicata opinione vel ex inſcientia in eam ſolet conjicere. Profecto non tam

exilem, invenustam, ac sordidam esse hanc disciplinam oportet, quam tot tamque præstantes omnes generis proci adamarunt, cujusque velut thori consortium maximo studio ambiverunt. Si Philosophos desideres, ecce tibi Divinum Platonem, quem in Philebo legimus demonstrasse, qua via liceret literarum doctrinam institui: Aristotelem, qui ultra Platonis initia progressus, genera quæ primis elementis efficerentur, comprehendit, comprehensaque posteritati commendavit: Theodectem Aristotelis magistri vestigia prementem, qui dum Philosophiæ operam daret, simul grammaticis studiis ingenium suum improbo labore excoluit. Nam ut ait Quinctilianus, Aristoteles atque Theodectes verba & modos, & nomina, & conjunctiones tradiderunt, videlicet quod in verbis vim sermonis, in nominibus materiam, in conjunctionibus autem rerum complexum esse judicaverunt (r): M. Varronem, Philosophum summum, qui de arte Grammatica concinnavit libros doctissimos, quos latinæ linguæ commentarios inscripsit. Si Poetas, Oratores ac Reipublicæ principes Viros quæras, en! Valerium Catonem, qui severis illis Syllæ temporibus patrimonio exu-

(r) *Lib. 1. cap. 4.*

exutus, nobilibus pueris Romæ ludum aperuit, seque magistrum latiæ linguæ præbuit. Hinc distichon, illud:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit & facit Poetas.

M. Tullium, qui dum filium literis instituit, sane rigidus latini sermonis exactor fuit, quin etiam doctor Grammaticæ, quam in prima elocutionis parte statuit; libro de Oratore (s), ubi latinitatis præcepta tradit: Cajum Julium Cæsarem; hic licet civili bello implicitus ad Ciceronem de Analogia, hoc est, de ratione latine loquendi accuratissime scripsit, asserens verborum delectum originem esse eloquentiæ (t). Nec ævo Christiano defuerunt Viri præclarissimi, qui amore simul laboreque suo hanc artem illustrarunt. Summum illud Ecclesiæ Doctorem D. Hieronymum non puduit ad Lætam de institutione Grammatica filiolæ tradenda ita scribere: „ Fiant ei literæ vel buxeæ vel eburneæ; suis nominibus appellentur. Ludat in eis, ut & lusus ipse eruditio sit. Et non solum ordinem teneat literarum, ut memoria nominum in canticum transeat, sed & ipse inter se crebro ordo turbetur, & mediis ul-

„ ti-

(s) *Cap.* 3. (t) *Cicero in Bruto.*

„ tima, primis media miſceantur, ut eas „ non ſono tantum, ſed & viſu noverit. „ Quum ergo cœperit tremente manu „ ſtylum in cera ducere, vel alterius ſu- „ perpoſita manu teneri, regantur articu- „ li vel in tabella ſculpantur elementa, „ ut per eosdem ſulcos incluſa imaginibus „ trahantur veſtigia, ut foras non queant „ evagari. „ Hucusque Hieronymus. Purpurato huic Patri adjungo Imperatoria dignitate fulgentem Carolum M. qui non ſolum patrio ſermone Grammaticam ſcripſit teſte Cranzio (u), linguamque Teutonicam abſterſa barbarie regulis ac præceptis cultiorem, æmulamque Græcæ ac Romanæ reddere ſtuduit, verum etiam publico decreto ſanxit, ut ſacri emendarentur Codices ab erroribus librariorum oſcitantia & interpretum inſcitia invectis, ne in divinis lectionibus templisque inter ſacra Officia inconditi ſolæcismi, & inconcinni barbarismi præſentium auribus obſtreperent (x). Silens prætereo alios diſciplinæ hujus cultores æſtimatoresque eximios, quorum nomina partim jam prodidi, partim prodam deinceps. Tibi autem O nobiliſſima Grammatices diſciplina cano Virgilianum illud epinicium:

Sem-

(u) *Lib. 2. ſaxon. c. 8.* (x) *Aventinus lib. 4. Annal. Boic.*

Semper bonos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Hæc tum de laudibus, tum de vindiciis Grammaticæ satis.



CAPUT II.

HISTORIA GRAMMATICÆ.

§. I.

Ortus, Progressus, & Occasus linguæ Latinæ.

VII.

Id modo agendum mihi esse video, ut ad interiora istius artis & adyta ipsa penetrem. Prius autem quam hoc fiat, operæ pretium erit, ortum, progressum, occasum, ac instaurationem latinæ linguæ, cujus magistram se profitetur Grammatica, breviter & quasi aliud agendo inspicere. Hoc ut rite ac ordine fiat, in quatuor ætates eam dispescere lubet, quemadmodum hominis vitam, Infantiam nempe, Adolescentiam, Virilem, & Senilem. Infantia repeti potest a primis cunis, quas nacta est in Latio, angusto Italiæ angulo, qui nomen illud traxisse fertur

tur a *latibulo*, in quo Saturnus e regno Cretæ a filiis suis Jove, Neptuno ac Plutone pulsus latuit (y).

Dicta quoque est Latium terra latente
Deo.

Reipsa olim Latina gens cum lingua sua in hoc paucorum milliarium agro, a Roma versus Campaniam se porrigente, aliquamdiu delituit. Tum vero victricibus armis late dominans; & Imperio potita, una cum jugo linguam hanc multis imposuit populis. Nam ut D. Augustinus observat (z), Romani a Legatis & Præsidibus ac Judicibus in provincias missis quæcunque negotia nonnisi latio sermone confici præceperunt, ut hac ratione subditis necessariam redderent eam linguam, qua ipsi utebantur, eosque Romano Imperio sermonis quoque vinculo arctius conjungerent. Quin etiam velut lege cautum erat apud Romanos, ne alio quam latinæ uterentur locutionis genere, si quæ ipsis negotia cum Græcis intercederent, uti Valerius Maximus prodit (a). *Illud magna cum perseverantia custodiebant, ne Græcis unquam, nisi latine responsa darent*

(y) *Ovid. lib. Fast.* 2. (z) *Lib.* 19. *de Civit. Dei c.* 7. (a) *Lib.* 2. *c.* 2.

rent.... Quo ſcilicet latinæ vocis bonos per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Qua in re Veterum Romanorum morem imitari voluiſſe videtur S. Mater Eccleſia Catholica, in qua nulla alia præter Romanam lingua toto terrarum orbe communis eſt, quum in ea Sacram Bibliam vulgari præceperit, quæ ſola *Canonica* eſt, Divinique verbi auctoritatem nanciſcitur; atque in hoc, nec alio, idiomate Religionis noſtræ ſanctiſſima myſteria pertractari debere decrevit, ita ut lingua hæc latina immortalitatem quodam modo participet ab Eccleſia Catholica, quæ ſecundum Chriſti promiſſionem in æternum duratura eſt. Verum iſta, de qua loquor, lingua primis temporibus, ut fieri amat, ſatis infirma fuit & cruda per quingentos & amplius annos poſt Romam conditam usque ad Livium Andronicum; & quamvis Viri docti non defuerint, pauca tamen literis mandata fuerunt, quum uti ait de primis Romanis Salluſtius (b): *Optimus quisque facere quam dicere malebat.* Plus etiam tunc honoris adhuc deferebant Romani Græcæ, quam Latinæ ſeu propriæ linguæ, neſcio qua ſeu verecundia, ſeu reverentia tacti, quoniam & leges & bonas artes e Græcia recens in Latium, ipſamque Urbem

(b) *In Conjurat. Catil.*

bem Romam transvexere, quemadmodum canit Horatius (c):

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio.

Idcirco infantilis hæc ætas, qua Latini balbutire cœperunt, parum utilitatis affert, nec usui esse potest nobis, quum præter dictionis quædam rudera in antiquissimis scriptoribus & columnis exstantia fere nihil sermonis istius ad nos pervenerit.

Infantiam excepit juventus latinitatis circa annum U. C. DXIV. Coss. C. Clodio, & M. Tuditano, atque a tempore Livii, de quo dicebam, Andronici, qui primus Romæ latinas literas docuit, adusque Ciceronis ævum centum fere annorum finibus circumscribitur, quo ævo claruerunt Oratores quidem Cethegus, M. Cato, C. Lælius, P. Scipio, L. Crassus, M. Antonius &c. Poetæ vero Q. Ennius, M. Accius, Plautus, Pacuvius &c (d). Hæc tamen ætas multa communiter usurpabat verba, quæ sequens omnino repudiavit, aut ad limam vocavit, quemadmodum *Adolabilis*, quod est, sine dolo apud Ennium. *Alteras*, pro alias apud Festum: *Futobat* illic, pro sæpius fuit:

(c) *Lib. 2. Epist. 1.* (d) *Cicero in Bruto.*

fuit: *Suom mareitom*, ſuum maritum: *jouſſit* juſſit: *omneis*, *Maneis*, omnes, Manes: *Joucundus* jucundus: *Porporea*, *Sop*, purpura, ſuper: *Turbaſſitur*, pro turbatur: *Endo teſtato* pro inteſtato, *Indoponito* pro imponito, *Pos*, *Fros* pro pons, frons, *Poſtidea*, poſtea, *Poplicus* pro publicus, *Mehe* pro me, *Mereto ornavet*, pro merito ornavit, *Inclutus*, pro inclytus, & ſexcenta id genus, ex quibus integras quoque inconditas formabant ſententias, qualis illa eſt apud Scaligerum lex Tribunitia: *Quei aliuta facſit, cum pequnia familiaaque ſacer eſtod. Sei quis em ocisit, paricida nec eſtod.* Id eſt: Qui aliter fecerit, cum pecunia & familia ſacer eſto. Si quis eum occiderit, parricida ne eſto. Plura ejuſmodi fragmenta paſſim exſtant apud Gellium, Feſtum, Pompejum, ac Priſcianum. Quare in ſecundæ hujus ætatis auctoribus legendis delectum habere oportet ac judicium, ne Ennii, Accii, Plauti, & Pacuvii verbis temere utamur, licet quandoque cum eruditionis laude adhibeantur in Inſcriptionibus, & Epitaphiis, in legibus condendis, in tragœdiis & comœdiis, ubi vel ad oſtendendam vetuſtatis peritiam, vel ad auctoritatem conciliandam, vel ad excitandos triſtitiæ lætitiæve affectus non

inelegauter ſervire poſſunt. Hæc de juventute.

Sequitur virilis ætas, quam etiam Latiniſmum adpellant, cujus initium a Ciceronis ævo ducunt, finem vero ad Auguſti & Tiberii mortem extendunt, ita ut florentiſſimum hoc latinitatis regnum non multo plures quam octoginta annos complectatur, & vix tertium Imperatorem conſpexerit. Anguſti profecto limites, ſi temporis ratio habeatur: non item ſi contemplemur ubertatem ac fæcunditatem ſoli, dum maxima protulit ingenia in arte Oratoria, Poetica, & Hiſtorica, dignaque quibus aſſurgant ſequentium ætatum ſcriptores omnes, quosque poſteri ad imitationem ſimul & admirationem ſibi proponant. Inter hos numerari ſolent J. Cæſar, T. Livius, Salluſtius, Cornelius Nepos, Vitruvius, Virgilius, Horatius, Ovidius, Catullus, Terentius &c. Primum vero locum merito ſibi vendicat, & familiam ducit M. T. Cicero, quem ipſam eloquentiæ vocem, atque cœleſtem in dicendo Virum nuncupat Quinctilianus. Hæc igitur ætas eſt Procerum latinitatis, quorum omnium libri & ſcripta inoffenſo pede (ſi Poetarum quorumdam ſpurcitias ſuſtuleris) legi poſſunt & merentur. Et quamvis eruditione, ſtylo, & ingenio multum

diſpa-

dispares sint, sermonis tamen sinceritate ac elegantia, velut sanguinis communione, pares existunt, ita ut forma & exemplar veræ Latinitatis jure haberi debeant.

Superest, ut de ultima & quarta ætate, devexa nimirum, & ad senium paullatim inclinante pauca in medium proferam. Post Augusti mortem imperante Tiberio mascula Romani eloquii virtus cum moribus sensim cœpit emolliri ac enervari, & lingua Oratorum ac Poetarum, quæ prius nonnisi reipublicæ commodis, justitiæ ac virtuti servire, modo privatorum fortunæ adulationique Principum venalis fieri consuevit. Numerat hæc ætas Velleium Paterculum, Curtium, Senecam utrumque, Celsum Medicum, Valerium Maximum, Pomponium Melam, utrumque Plinium, Statium, Lucanum, Apuleium, aliosque, apud quos novas quasdam voces a primis fontibus recedentes est reperire, quemadmodum *conversatio* pro vitæ societate, *Excessus* pro delicto, *Taxo* pro reprehendo, *Privilegium* pro beneficio, *sub meo nomine* pro meo nomine, & his plura similia. Fateri tamen oportet, sermonem latinum, quo usi sunt hujus ævi scriptores, neque contemnendum neque negligendum esse ab eo, qui eruditioni politæque dictioni

 ope-

operam navare cupit. Ut enim aurei illius seculi scriptores, ait Andreas Schottus (e), ad imitandum proponendi, sic hujus ad rerum cognitionem parandam legendi sunt aliquando, formato jam stylo Ciceroniano. Hæc latinitatis facies erat usque ad Antoninos Impp. spatio fere centum & quinquaginta annorum, post quod magnis passibus in pejus ruere, ac turbatis fontibus lutulenta fluere occepit. Fuerunt tamen & isto tempore, quorum hac in re conatus non omnino spernendi sunt: Palladius, Gellius, Arnobius, Tertullianus, Minutius Felix, Lactantius, Ausonius, Prudentius, Macrobius &c. qui sedulo studio & imitatione priorum laudem aliquam sunt consecuti. At subsequentibus annis, & maxime ad finem Seculi IV. diviso in Honorium, & Arcadium Imperio, quum ab utroque sole locustarum instar advolantes innumeri Barbari, Gothi, Vandali, Hunni &c. omnia late vastarent, etiam bonas artes & literas barbaris moribus & vocibus fœdum in modum corruperunt. Tunc primum insuetas aures percusserunt vocabula illa horridum quid sonantia: *Totaliter*, ex integro, *Bannire*, id est, proscribere, *Clocca* campana, *Flasca*, lagena, *Bastardus*, Nothus, *Hostagius*, obses,

(e) *Tull. Quæst. lib.* 1. c. 14.

obſes, *Reiteri* Equites, *Morgengeba* dos, *Ternare*, haſta certare, *vidimare* recognoſcere, & ſexcenta alia. Quare vix ullus ſcriptor, pauculis exceptis, qui e communi naufragio tabulas aliquas ſubtraxere, vix inquam ullus ſcriptorum fuit, qui non ferrum & lignum loqueretur, ac lutum ſpueret, eoque chartas ac libros contaminaret.

§. II.

Inſtauratio linguæ latinæ.

VIII.

Equidem ſeculo jam octavo de latinitate inſtauranda cogitatum fuiſſe non levis eſt conjectura ex Diplomate Caroli M. cujus meminit Baronius. In hoc Imperator Paulinum, poſtea Aquileienſem Patriarcham, Virum non minus pietatis quam eruditionis fama celebrem, nuncupat *artis Grammaticæ Magiſtrum*. Quin Monachus quidam Engoliſmenſis in vita ejusdem Caroli a ſe conſcripta (f) prodit ingens illius ſtudium, quo ad reſtaurandas in regnis ſibi ſubjectis latinas literas ferebatur, his verbis: *Domnus Rex Carolus iterum a Roma artis Grammaticæ & computa-*

(f) *Apud du Cheſnium Tom. II.*

putatoriæ Magistros secum adduxit in Franciam, & ubique studium literarum expendere jussit. Ante ipsum enim Domnum Regem in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium. Nono etiam seculo Lotharius I, Ludovici Pii filius, in Italico cui præerat regno collapsam rei literariæ fortunam erigere totis viribus nitebatur, cujus rei egregium adfert testimonium Antonius Muratorius (g) producens *Capitulare* ab eo promulgatum, e quo satis constat, Lotharium in octo regni illius civitatibus scholas instituisse, ad quas conterminarum urbium adolescentes confluere, si vellent, possent. His in singulis urbibus nonnisi unicum præesse jussit Magistrum, qui commissos curæ suæ discipulos in arte Grammatica instrueret, quæ tamen paullo latius tum temporis patebat, nec solum linguæ latinæ rudimenta, sed etiam Poetarum, Historicorum, Oratorum, immo etiam ipsius S. Scripturæ, sanctorumque Patrum doctrinam, quæ palam explicata fuit, complectebatur. Verum hæc rudia duntaxat initia fuerunt, & primi velut conatus emergentis e cœno latinitatis; barbarie scholas, cathedras, musea passim occupante per nongentos propemodum annos, donec tandem circa Se-

(g) *Tom.* 3. *de Antiq. Ital. Dissert.* 3.

Seculum XIV. præclari aliqui latinæ linguæ vindices prodirent, & ignorantiæ asylum eversum irent junctis viribus. Inter hos numerandi veniunt Musatus, Petrarcha, Erasmus &c. quos longo agmine, multaque cum laude secuti sunt Laurentius Valla, Poggius, Vergerius, Blondus, Berottus, Bembus, Muretus, Manutius, Sadoletus, Christophorus Cellarius, Vorstius, Borrichius, du Fresnius, Nizolius, Gotlieb Heineccius; pluresque Societatis Jesu Viri præstantes (h) Schönslederus, Andreas Schottus, Niessius, Possevinus, Jacobus Pontanus, Pexenfelderus, Pomayus, Tursellinus, Juvencius, & novissime Wagnerus & Kropfius, qui utilissimis laboribus suis agrum latinitatis ab innumeris filicibus & loliis expurgarunt, optimumque suffecerunt triticum, eo fructu, qui in seram quoque posteritatem redundabit. Profecto plurimum emolumenti præsens hoc seculum inde percepit, quo bonæ artes ac literæ, præsertim sedula ac indefessa latinitatis quasi ab inferis revocatæ cultura, supremum apicem attigisse videntur; neque jam timendum, ne discentium atque docentium inopia, sed

(h) *Allegambe in Bibl. Script. S. J. ultra 70. numerat.*

sed nimia fortassis copia illorum, qui literati ac eruditi cupiunt videri ac digito monstrari, regno suo excidat; & in pristinum chaos atque barbariem sensim dilabatur.

Ecce! quatuor latinæ linguæ ætates; infantiam, adolescentiam, virilem ac senilem; & quod mirere, hanc ipsam pristino vigori restitutam. Sed præter istam alia passim apud Grammaticos Scriptores occurrit distributio, in ætatem auream, argenteam, ferream, & luteam, quam distributionem, ut credo, ab illa Nabuchodonosoris statua (i) in SS. Literis celebrata satis apte sunt mutuati, cujus *caput ex auro optimo, pectus autem & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ ac pedum quædam pars erat ferrea, quædam fictilis.* Quemadmodum enim Daniel quatuor orbis terrarum Monarchias hac metallorum varietate designabat, ita isti quatuor diversas Scriptorum Latinorum classes in orbe literato suis velut characteribus insignivere, scilicet optimos, meliores, mediocres, & infimos. Nolim ego heic longum eorum syllabum texere, ac dubios Auctoribus illis fines ponere, tanquam certos, quum nonnulli collocent in ætate argentea, quos alii adscribunt

aureæ,

(i) *Daniel.* 2.

aureæ, vel damnent ad luteam, quos ænea sive ferrea sibi merito vendicat. Res hæc circa non paucos Veterum Scriptorum satis est incerta, nec firmiorem meretur fidem, quam celebris apud Philosophos divisio aeris in tres regiones, quas elemento huic adsignant quasi pro imperio, nullis unquam certis limitibus finiendas. Quare hoc in negotio facile adsentior Juvencio nostro, qui monet, magis attendendum esse ad Auctores, qui scripserunt, quam ad tempora, quibus singuli scripsere: esto judicium non de ætatibus, sed de scriptoribus, qui meliores non raro sunt ætatibus suis. Certe receptissima sunt & civitate donata vocabula permulta, quæ Suetonio, Macrobio, Symmacho, Sidonio Apollinari, Petronio Arbitro, Apuleio, Apicio in re coquinaria, Columellæ in rustica, in militari Vegetio, in medica Celso debemus, quibus tamen postremum fere subsellium in ænea vel ferrea ætate quidam tribuunt. Quid? quod neque omnia vocabula hodie probentur, quæ in aureæ ætatis scriptoribus inveniuntur, apud Q. Ennium, M. Pacuvium, M. Accium Platum &c. utpote ipso usu primo detrita, & jam exoleta. Nam verba & voces in communi sermone sunt sicut monetæ, quibus valorem non unice

 tem-

tempus vel antiquitas tribuit, sed etiam & vel maxime Principum & Communitatum auctoritas; ita verborum potestatem ac pretium non solum a vetustate, sed etiam & magis ab auctoritate scriptorum insignium pendet, qui vel primi invenerunt, vel priores in usum deduxere; in iis præsertim artibus & disciplinis, quas aut nullis aut obscuris præcedentium vestigiis tritas sibi excolendas unusquisque suscepit. Quapropter etiam hoc loco rejiciendi omnino sunt dicaces quidam Grammatici, & metallo sequiore fusi Critici, qui SS. Patres & Mystagogos audent reprehendere, quod vocibus nonnullis utantur, quas Roma Nova, Ecclesia Romano-Catholica instituit, quibusque vim sacra fidei nostræ mysteria significandi adtribuit, ut *Incarnatio*, *Trinitas*, *Passio Christi*, *Personalitas &c.* quasi vero non haberet Respublica Sacra æque ac Profana potestatem condendi certa vocabula ad finem præfixum necessaria, quibus absque ambiguitate ac circumlocutione de rebus ad se pertinentibus rite possit sermocinari, id quod vel fabris ac tonsoribus cuique in arte sua nunquam non licitum fuisse novimus. His Aristarchis jure possumus respondere, quod olim Cypri Episcopus Spiridion Triphyllo pariter Episcopo, cætero-

teroqui eloquentiſſimo, quem quum in Concilio Nicæno I. S. Scripturæ locum *Tolle grabbatum tuum* (k) politiore nonnihil ſermone uſus exponeret dicens: *Tolle lectum tuum*, non ſine aculeo his verbis redarguit: *Tune melior illo* (nimirum Chriſto) *qui dixit grabbatum, ut ejus verbis uti dedigneris?* Nempe aliter loquendum eſt, ſi cum Tullio verſeris in agro Tuſculano, aliter ſi de ſummis myſteriis verba facias in Eccleſiæ Romanæ gremio. Neque enim aliquorum ſuperſtitionem probare poſſum, qui ne a Cicerone, Cæſare, Livio recedant, non verentur recedere a locutione Patrum recepta, ſæpe etiam cum veritatis & fidei diſpendio, quum ex verbis minus recte prolatis, immo in ipſis verbis reperiantur hæreſes, quemadmodum probe advertit D. Auguſtinus (l); & ſatis nos docuit in Eccleſia græca vox unica ὁμοιούσιον ſeu *ſimilis*, loco ὁμοούσιον ſeu *conſubſtantialis*, quæ totum Orientem ſæviſſima hæreſi Ariana & Semi-Ariana per annos ſexaginta & octo funeſtavit. Mihi placet ſummopere graviſſima Eximii Oratoris, & glorioſi in Anglia Martyris Edmundi Campiani S. J. hac ſuper re ſententia (m): „Verbum re-

„cipio

(k) *Marci* 2. *v*. 9. (l) *Lib*. 1. *de Trinit*. *c*. 3.
(m) *Libell. de Imitat. c*. 25.

„ cipio nullum, ait: quod non ille (Ci-
„ cero) recepiſſet; multa autem admitto
„ quæ ille non protulerit, prolaturus ſine
„ dubio, ſi tuliſſet occaſio .... Nempe
„ apud Ciceronem *perpeſſio*, non paſſio
„ invenitur: num propterea Chriſtiani
„ non audebimus Chriſti *Paſſionem* tot-
„ idem literis & ſyllabis enunciare? per
„ me quidem potius in Tyberim omnia
„ Ciceronis opera projiciantur, quam hu-
„ jus unius dictiunculæ jactura fiat. „



CAPUT III.

OECONOMIA GRAMMATICÆ.

§. I.

Veſtibulum Grammatices, ſeu Literæ, ac Scriptio.

IX.

Complanata per Hiſtoriam hucusque recenſitam via ad interiora hujus artis adyta penetrare licet: prius tamen quam hoc fiat, velut in Veſtibulo hujus diſciplinæ nonnihil immorari juvat, ac literarum originem inſpicere. Si primas quaſi cunas hujus artis inveſtigare veli-

velimus, deprehendemus eas non esse alias, quam literas, omni quidem hominum ac populorum generi communes, pro diversitate tamen gentium & nationum diversas, quæ sunt rerum indices & signa verborum, quibus ea *inest vis, ut nobis dicta absentium sine voce loquantur,* inquit Isidorus (n). Quum enim homo sit animal, sensa sui animi manifestat alteri, duorum sensuum, quos auditum & visum adpellamus, ministerio, ita ut quod auribus objicitur, vox sit; quod autem oculis, literæ, quas Græci γράμματα & χαρακτῆρας ab inscribendo & exculpendo vocant. Sunt autem literæ in duplici differentia: prima est, quod notæ sint, quibus sensa nostra exprimimus; quales fuerunt Ægyptiorum literæ hieroglyphicæ, dum varias animalium effigies, aut armatorum hominum simulacra suis obeliscis insculpserunt, quæ vel Regum gloriam, vel eorum persoluta vota posteris monstrarent, vel armorum conflictus & victorias commendarent; quemadmodum Tacitus (o) testatur: *Primi,* inquit, *Ægyptii per figuras animalium sensus mentis effingebant, & antiquissima monimenta memoriæ humanæ impressa saxis cernuntur.*

(n) *Episc. Hispalens. l.* 1. *Etymolog.*
(o) *L.* 13. *Hist.*

tur. Ita per ſpeciem *apis* mella conficientis regem indicabant, cui aculeus quidem ineſſe debet, moderante tamen illum jucunditate quadam: per *accipitrem* denotabant rem, quæ cito perficitur, quoniam hæc avis velocitate reliquis antecellit. Altera differentia eſt, quod etiam notæ ſint vocum, quæ cogitationum humanarum ſimulacra ſunt; atque his propria literarum adpellatio congruit. Quis primus eas invenerit, uti antiquiſſima, ita innumeris apud Scriptores litibus obnoxia quæſtio eſt: Diodorus (p) & Cicero (q) inventionis gloriam Mercurio cuidam Ægyptiorum Regi vendicant; Plinius Aſſyriis (r), Lucanus Phœnicibus.

Phœnices primi, famæ ſi credimus, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Eupolemus vero teſte Euſebio (s) earundem originem tribuit Moſi; Philo autem Abrahamo; Joſephus denique (t) liberis Seth ab Adamo A. M. 130. progeniti. Mihi placet præ reliquis eorum opinio, qui Adamum characteres hebræos, procul dubio ab ipſo Deo rerum omnium Auctore

(p) *Lib.* I.
(q) *Lib. de nat. Deor.*
(r) *Lib. natur. Hiſt.*
(s) *Lib.* 10. *de præpar. Evang. c.* 7.
(t) *Lib.* I. *Antiquitat.*

re ſupremo acceptos, filiis ſuis communicaſſe arbitrantur, ne genus humanum diu literarum commercio, ad vitam ſocialem tam neceſſario, carere debuerit. Rem hanc oppido confirmat illa de duabus columnis hiſtoria, quam Joſephus, de quo dixi, memoriæ prodidit: Quum enim ex Adamo intelligerent Nepotes, humanum genus duplici clade deletum iri, aqua & igne, duas ſtruxere columnas lapideam, alteram lateritiam, quibus omnium diſciplinarum ab Avo hauſtarum elementa inſcripſerunt, eo conſilio, ut vel lapidea undis, vel lateritia flammis ſuperſtes esſet, hacque ratione prima bonarum artium ſemina nullo unquam ævo interirent. Ex his primam usque ad ætatem ſuam in Syria duraſſe affirmat idem Flavius Joſephus (u). Quoniam vero literarum hebraicarum mentio poſt diluvium prima occurrit in Tabulis Moſi a Deo traditis, inde factum, ut Moſes primus earum inventor haberetur, a quo acceptas Judæi ſuperato mari rubro in Palæſtinam & Phœniciam intulerunt: ex his Cadmus in Græciam, & ex hac Pelasgi aut certe Arcades, in Italiam adpulſi cum Evandro, denique in Latium; ex quibus accedente poſtmodum in tam longa quaſi peregrinatione

(u) *Loc. cit. c. 4.*

tione figurarum immutatione natæ ſunt tres præcipuæ orbis linguæ matrices: *Hebraica*, *Græca*, & *Latina*. Varia vero pro temporum varietate literarum fortuna fuit, & tum pronunciandi tum ſcribendi ratio. Olim diphtongus Æ efferebatur ut ai: hinc occurrunt in antiquis editionibus, & Poetarum carminibus *Aulai*, *Pictai*, *Muſai* pro Aulæ, Pictæ, Muſæ. Item literæ I. longæ præponere ſolebant Veteres aliam E: *omneis*, *naveis*, *beic*, loco omnis, navis, hic. Brevi autem mos iſte exolevit, quamvis Claudius Imperator feratur illum lege voluiſſe reducere. Sunt ramen non pauci, qui *beic* pro *hic* etiamnum hodie ſcribant conſulto ad diſcriminandum adverbium a pronomine, uti etiam *quum* loco *cum* ad diſcernendam conjunctionem a præpoſitione. Literam quoque conſonam V. quemadmodum Germani W pronunciare conſueverunt: C. vero eundem ſonum reddebat, quem K. ſic lapidibus inſculpta & in diplomatibus vetuſtis leguntur hæc verba: *Karus*, *Parkarum*, *Kaſtitas*. Pluribus adhuc viciſſitudinibus obnoxia erat literarum figura. Et quidem vocales quosdam ſcribebant quondam duplices, uti monſtrant numi veteres: FAAUSTUS. FEELIX. vel tranſverſa notabant virgu-

la,

la, eg. Legebam. Loco S. substituebant C. & A. referebat figuram Λ. Nullus quoque priscis seu græcis seu latinis accentuum vel virgularum usus erat, quibus adverbia a reliquis vocibus distinguerentur, qui mos nunc quoque seu in typographiis seu in MSS. velut postliminio incipit revoc. i. Illud universim animadvertere licet, veteres literas latinas græcis simillimas fuisse, exceptis iis, quas ipsi latini proprio marte addiderunt, nimirum F. Q. H. Hæc pauca sufficiant: plura tum scriptionis tum pronunciationis apud antiquos usitatæ exempla eruditissimus Lipsius (x) curioso lectori suppeditabit. Jam vero ex literis syllabæ & verba componuntur; ex his autem oratio, quæ aliud non est, quam contextus verborum cum sensu: nam sine sensu nulla est, & mortua oratio, quemadmodum sine anima corpus; quum oratio dicatur teste Isidoro (y) quasi *oris ratio*. Quare ut hæc plena sit, literis, syllabis, verbis & sensu eam constare oportet.

Ut de materia quoque subjecta, cui literæ inscribi solent, pauca disseram, ea priscis temporibus varia fuit: Imprimis cor-

(x) *In Dial. de rect. pronunc. ling. latin.*
(y) *Lib. 1. Etymolog.*

cortex interior, seu tunica subtilior arboribus detracta & probe lævigata, quibus characteres suos & animi sensa his expressa Veteres committebant. Corticem ejusmodi late ac longe patentem, & literis oppletum convolutumque Latini *librum* aut *volumen* dixere. Ejusmodi integra volumina characteribus græcis insc ita, e famosis Herculanæ civitatis ruderibus in lucem non ita pridem protracta, Portici prope Neapolim intueri & admirari mihi licuit: Palmarum quoque aliarumque arborum in foliis scriptitabant; hinc librorum paginæ etiamnum *folia* dicuntur. Alia materia erant tabulæ ligneæ candidæ, quas nigra cera subtilissima obduxere, ac stilo seu graphio ferreo literas iis impresserunt, labore quidem non mediocri, non tamen sine omni commodo. Nam si quid mutandum erat aut delendum, stilum de quo dixi, una parte acutum, altera vero latum subito vertebant, ceraque deducta errorem corrigebant. Quapropter hodie etiamnum erroris correctionem *lituram*, & corrigere scripturam *stilum vertere* dicimus. Eboreis quoque laminis, plumbeis, atque æreis tabulis utebantur, quibus ea, quæ diutissime conservata cupiebant, mandarunt, quemadmodum Romani leges duodecim tabularum, aliaque mo-

monumenta, atque fœderum cum nationibus exteris initorum formulas, uti legimus libro primo Machabæorum. Eboreæ etiam parvæ, ac citreæ ad memoriam juvandam adhibebantur, quas *pugillares* nuncupabant, vel quod ob exiguam molem pugno comprehendebantur, vel quod ſtili ope in his pungendo ſcribebatur: atque horum pugillarium veſtigia etiam ante tempora Trojana invenire licet apud Homerum & Catullum. Poſtmodum fruticis uſus invaluit, qualis præcipue in Ægypti paluſtribus ad Nili litora ſuccreſcit: hujus folia in modum viminis extenſa, aliis transverſum impoſitis, & glutine quodam oblitis, lævigatisque adaptarunt, ac ex iis chartas confecere acu diviſas in prætenues & latiſſimas philyras, quæ ab hujus fruticis adpellatione papyri nomen acceperunt teſte Plinio. Hic uſus obtinuit fere ad ſeculum Chriſti duodecimum. Rurſus aliam literis inſcribendis materiam præbuit membrana, ſeu corium ovium vitulorumque membris detractum atque ſiccatum. Membrana hæc *charta Pergamena* uti nunc, ita olim dicebatur, quod vulgo crederetur inventa eſſe Pergami, Aſiæ Græcæ civitate, regnante Eumene, cujus magnam copiam Rex Attalus Romam miſiſſe fertur, ut penuria chartæ pellibus pen-

 ſare-

ſaretur; & in nuce incluſam Iliada, Homeri carmen, in membrana ejusmodi ſcriptam perhibet Plinius. Denique charta, qua nunc utimur, e contritis linteis coagulata eſt, eundemque nobis uſum præbet, quem olim Ægyptiis præſtabat papyrus. Equidem jam priſcis temporibus chartæ genus quoddam fuit, a *Carthagine*, ubi inventa eſt, ut ajunt, ſic dictæ. Varro chartam in Victoria Alexandri M. repertam fuiſſe ſcribit: alii Ptolemæum chartas, Eumenem vero membranas inveniſſe tradunt, quorum alter Pergami, alter Ægypti Rex fuerat, uterque vero maximas ampliſſimasque inſtruxit Bibliothecas: Plinius autem putat, chartarum uſum fuiſſe jam temporibus Numæ, qui ætate Alexandrum M. longe præceſſit, idque auctoritate Caſſii Heminæ confirmat, qui Cneium Terentium ſcribam, agrum ſuum in Janiculo repaſtinantem, inveniſſe ait arcam, in qua Numa Rex ſitus eſſet, & in ea libros illius in charta ſcriptos. Verum chartarum genus hoc vetuſtum e linteis quidem, ſed integris & glutine quodam firmatis, non e tritis ut nunc fit, & in pollen redactis compoſitum erat. Certe hanc, quam hodie adhibemus, ante annum Chriſti 1100. nullo in uſu fuiſſe ſatis conſtat. Porro ſcribendi inſtrumenta ſunt vel

ſtilus,

ſtilus, quo in tabulis ceratis utebuntar veteres, quemadmodum nunc chalcographi noſtri in cupreis: vel calamus in atramentum intinctus, quo in charta, membrana, papyro, libris ſcribitur, ut jam pridem Cicero ad Quinctum Fratrem: *Calamo* inquit, *& atramento temperato res agitur.* Principum tamen epiſtolæ *Rubrica*, id eſt, minio, cinnabari, aut ſanguine Purpuræ ſcribebantur, aliquando etiam auro. Quod ad ſcribendi modum & ordinem adtinet, Hebræi a dextra ad ſiniſtram lineas ducunt: Græci & Latini contra a ſiniſtra ad dextram: nonnulli olim a chartæ capite incipientes ad calcem usque deorſum, ac denuo ſurſum pergebant: alii in una pagina continua ſcripſere, tam ampla, ut totam quæ ſcribenda erat, materiem caperet, idque ad usque Julii Cæſaris ævum, qui primus dicitur librum in plura diſtinxiſſe folia: neque utramque paginæ faciem, ſed unam duntaxat, ſeu adverſam characteribus ſignabant, averſam vacuam relinquentes. Demum epiſtolas & codicillos tabulis e buxo ceratis inſcribere ſolebant Veteres, unde illarum bajulis *Tabellariorum* nomen adhæſit. Ita Cicero in Catil. *Introductus Statilius cognovit manum & ſignum ſuum: recitatæ ſunt tabulæ.* Sic ſcriptas vero

ligabant lino ſeu filo multis ſpiris circumducto, totamque tegente epiſtolam: ipſi autem lino impreſſum erat adhibita cera vel creta ſignum: quod vel ſcribentis aut cujusdam e Majoribus imaginem referebat. E quo priſco more originem traxit phraſis ea, qua dicimus *obligare* epiſtolam, & *obſignare.*

Verum quæ hucusque dixi, ut melius intelligantur, juvat ea ſcriptorum Veterum teſtimoniis illuſtrare. Inprimis ad libros & volumina quod adtinet, Iſidorus (z) ait: *Liber eſt, interior tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua antiqui ſcribebant.* Hac adpellatione etiam venit apud Suidam: *Philyra*, inquit, *eſt arboris ſpecies, quæ librum (corticem) habet ſimilem biblo papyri.* Quare ſi libri etymologiam conſideremus, ejus conſcribendi materia cortex fuit: forma vero volumen, ab ipſo circumvolvendi more ſic nuncupatum, de quo Paullus J. C. (a) *Volumen appellatum, quod veteres volumina in cylindri, id eſt, volutarii morem complicare ſolebant.* Clarius adhuc rem explicat Joannes Pierius (b), dum ait: „ Sciendum, libros olim fieri ſolitos du-

„ ctu

(z) *In Orig. l. 6. c.* 14.
(a) *L.* 3. *ſentent.* 6. §. 87.
(b) *L.* 34. *Hieroglyph. c.* 38.

„ Itu plurimum perpetuo, una quippe „ pagina, (non ut nos illis disjectis, & „ in quaterniones, quos dicimus, con- „ fertis) & quia complicabantur ad instar „ spiræ convoluti, inde volumina dicta sunt „ a volvendo: in extrema autem pagina „ firmitudinis ergo parvus admodum ba- „ cillus ex cedro quippe, aut buxo, cu- „ pressove, vel ex ebeno, vel ex arbore „ alglutinabatur, ad latitudinis modum, „ qua membrana præcisa erat. Hunc um- „ bilicum adpellabant, cujus quidem ca- „ pita volumine complicato hinc & inde „ prostabant, solebantque ex argento, „ vel etiam gemmis ad ornatum præmu- „ nire „ Hujus rei ignoratione non pauci decipiuntur, dum si a prisco scriptore to & tot libros & volumina in lucem data legunt, nescio quot spissorum codicum ideas sibi formant. Nam ut recte notat Conringius (c): *Quum legimus in Græcis latinisque Veterum bibliothecis triginta, immo quadraginta, aut sexcenta millia librorum, non est, quod juxta morem nostri seculi, ubi volumen dici vix solet, nisi spissior grandiorque Codex, totidem grande. Codices numeremus; libri enim & volumina fuerunt, quorum hodie cen-*

(c) *In epist. ad Brineburgum.*

centena aliquot unus grandior noster codex complectitur. Profecto, quis sibi persuadeat, Bibliothecam Antiquissimam Ptolemaicam, & alias tot centenis voluminum millibus divitem fuisse, si volumen ea, qua hodie, decempeda metiri placeat? Pridem hoc agnovit Ulpianus (d) inquiens: *Si quis haberet Homerum totum in uno volumine, non quadraginta octo libros computamus, sed unum Homeri volumen pro libro accipiendum est.* Quod vero ad Codicis adpellationem spectat, antiquis Codex nominabatur plurium tabularum contextus. Ita Seneca (e): *Plurium tabularum contextus caudex apud antiquos dicitur; unde publicæ tabellæ codices dicuntur.* Ita quoque Justinianæus quo utimur Codex per antonomasiam *Codex* nuncupatur a Jurisconsultis: & Baonius in Martyrologio Romano ad annum 485. narrat *Codicem Divi Matthæi in schedulis* (id est, tabellis) *ligneis perscriptum inventum esse in monimento D. Barnabæ.*

Quid autem tabularum nomine intelligatur, rursum explicat Ulpianus (f): *Tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram: sive igitur tabulæ sint ligneæ,*

(d) *L.* 52. *ff. de Legat. III* §. 1.
(e) *De Brev. vit. c.* 13.
(f) *L. ff. de bonorum possession.*

ligneæ, sive cujuscunque alterius materiæ, sive chartæ, sive membranæ sint, vel in corio alicujus animalis, tabulæ recte dicentur. De plumbeis tabulis egregia exstant monumenta apud Kircherum, & Montfalconium. Prior in Museo suo Tab. X. libellum plumbeum septem laminis plumbeis constantem, & in sarcophago quodam inventum literis & signis ignotis eidem insculptis exhibet. Alter (g) narrat: „ Dum Romæ agerem, incidi in „ librum plumbeum inscriptum literis & „ figuris Basilidianorum, emptumque ob„ tuli Serenissimo Principi Cardinali de „ Bouillion, ita tamen, ut depicta om„ nia penes me remanerent; est is libel„ lus longitudine circiter quatuor polli„ cum, latitudine duorum & dimidii, „ operculis vero duobus plumbeis totus „ compingitur; sex folia item plumbea „ sunt, ab utraque facie incisis literis aut „ figuris. Duæ partes operculi assumen„ to plumbeo, clavis item plumbeis as„ serto & firmato junguntur; virgula „ plumbea foliis a tergo per annulum „ plumbeum ipsis hærentem inserta ipsa „ folia retinet, ne dimoveantur; deni„ que omnia plumbum. In singulis pa„ ginis

(g) *Lib. 2. Palæograph. Græc. c. 8.*

„ ginis Basilidianorum figuræ comparent;
„ in quatuor primis tantum verba quæ-
„ dam sub figuris posita incisa sunt: prima
„ & secunda pagella hetruscis literis exa-
„ ratur, tertia & quarta græcis; ex utris-
„ que tamen tam hetruscis quam græcis
„ tantundem notitiæ expisceris; adeo
„ sunt obscura omnia, & tenebris opple-
„ ta. „ Nolo longius his immorari, quum ad Grammaticæ infantiam potius quam ad ipsam artem pertineant. Nam ut eleganter scribit Quinctilianus (h): Grammatice *plus habet in recessu, quam in fronte.* Et alibi: *Interiora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas, quæ non modo acuere puerilia ingenia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.*

§. II.

Definitio & partitio Grammaticæ.

X.

Jam ad finiendam & partiendam hanc disciplinam progredi juvat. Et quidem Veterum æque ac recentiorum suffragio definitur Grammatica, quod sit ars, quæ in emendate loquendo scribendoque consistit. Hoc tamen non ita intelligi velim, ac

(h) *Lib.* 1.

ac si totum ejus negotium sola locutione ac scriptione absolveretur sine intelligentia eorum, quæ ore vel calamo proferuntur: id enim & psittacis & calculatoribus est commune; sed ut recte ait Vives (i): *Ars hæc grandior facta docuit puerum intelligere, quæ in lingua, quam didicit, scripta fuerunt.* Hæc autem intelligentia satis amplos fines jam apud antiquos nacta est, nimirum non ad vocis sonum duntaxat moderandum, & verborum interpretationem, sed etiam ad historiarum cognitionem, & poetarum pertractationem teste Cicerone (k) ac Quinctiliano se se extendit. Quare ut latine loquamur, non solum in id incumbendum nobis est, ut verbis utamur, quæ peritorum aures offendere nequeant, nec reprehensione digna sint, eaque sic inflectamus casibus, temporibus, genere ac numero, ne quid perturbatum & discrepans sit, vel ordine præpostero ponatur, sed etiam ut aptis & probe latinis vocibus sententiarum, quæ in auctoribus poeticis, historicis & oratoriis occurrunt, sensum & rationem reddere possimus. Quapropter jam olim varia ejusmodi scriptorum genera pueris exposita fuerunt; & recte. Nam

(i) *Lib. 2. de Grammat. corrupt.*
(k) *Lib. 3. de Orat.*

Nam quid quodque significet, quem sensum reddat, hoc demum callere Grammatici est. Fatendum tamen, erraſſe nonnullos Priſcorum, qui limites prætergressi contendebant, Grammaticum omni genere artium imbutum eſſe oportere. Quippe tantum non vendicat ſibi ars iſta, ſed diſciplinarum nexus quidam mutuus eſt, quem qui plene conſecutus fuerit, eum cum Quinctiliano *Mortalem Deum* adpellare fas eſt: quamvis nec inficiari auſim fuiſſe aliquos in omni ſcientiarum & artium genere quam excultiſſimos, qui tantum abeſt, ut Grammatici nomen probro ſibi ducerent, ut etiam adfectarint. Rara tamen ætas fuit, quæ tam perfectas, nec facile immitabiles ſapientiæ vivas effigies in lucem edidit. Mihi ſufficit explicaſſe naturam & indolem Grammaticæ, ſimulque Grammatici officium palam feciſſe, quod in eo verſatur, ut primum os pueri & manum ad rite loquendum ac ſcribendum formet; dein eum ad intelligentiam ſcriptorum promoveat, quæ ad cæteras poſtmodum artes perdiſcendas ipſum veluti manu ducat.

Ut de partitione hujus diſciplinæ aliqua quoque dicam, antiqua eſt Quinctiliani, qui Tullium ſecutus eam in in duas diviſit partes, *in bene loquendi ſcientiam*, & in

in *Poetarum ac hiſtoriarum enarrationem*, de quibus primum ante memini: recentior (l) Dionyſii & Tauriſci, qui tres aſſignarunt, ſcilicet *Artificialem*, *Hiſtoricam* & *Propriam*. Artificialem, quæ literarum elementa, partes Orationis, & orthographiam complectitur: Hiſtoricam de perſonis divinis & humanis, atque heroicis factis agentem, quam nonnulli rejiciunt, tanquam non ſatis ſtabilem, nimiumque vagam; Propriam demum quæ circa Poetas & hiſtoricos verſatur. Hodie communior meliorque Grammatices partitio eſt in *Theoricam*, quæ præceptorum cognitione occupatur, & in *Practicam*, quæ in exercitatione conſiſtit. Hanc vero exercitationem partim in γυνέσει, partim in ἀναλύσει conſtituunt. Prima tum viva voce tum ſcripto perficitur, dum vel artis præcepta fideliter memoriæ mandata exigenti Magiſtro a puero redduntur, vel impoſitum penſum ſeu in ſchola, ſeu domi ad regularum apices exacte perſolvitur: Altera vero aliorum ſcripta dictaque tum cognoſcit audiendo legendoque, tum judicat, quando ex optimis auctoribus excerptæ nobiliores phraſes, ſententiæ ac progymnasmata, velut totidem latinæ linguæ cimelia, explicando

(l) *Apud Joan. Franc. Picum Mirandolanum.*

do percipiuntur, & de horum dotibus, prærogativis, & elegantiis sanum fertur judicium. Atque propterea Grammatici a Cælio (m) dicti sunt Analectæ ἀπὸ τῶν ἀναλέκτων, quod quasi reliquias ciborum conservent ea, quæ in scriptoribus variis legerunt; quo in numero apud latinos fuerunt Gellius, Macrobius, & alii.

XI.

His breviter expositis patet nunc aditus ad ipsum disciplinæ hujus artificium, quod fortasse multis exile nimium ac tenue videbitur; ego autem unum e maximis esse judico, auctoritate simul & usu quotidiano fultus. Nam si accuratius Scriptorum monumenta ponderare velimus, ex tanta illorum farragine, quæ hodie occurrit, & vel invitis nobis obtruditur, paucos est reperire, qui argumenta illa, quæ in omni fere scientiarum & artium genere magno cum ingenio, doctrinæque maxima ubertate tractant, vera germanaque latinitate vestita norint oculis legentium exhibere, id quod palam facit, eos dum reliquo scientiarum commeatu omni abundant, Grammaticæ artis inopia laborare, curtamque illius supellectilem domi suæ habere. Amplius quid dico: paucissimi sunt,

(m) *Lib.* 13. *Antiq. Lect.*

ſunt, qui hanc artem probe callent, ſeu pro dignitate æſtimant; cujus rei hanc poſſe cauſſam adſignari arbitror, quoniam dum pueri eam in ludo, magno licet labore ſudoreque docentur, nec attentionem debitam, nec indolem ac ingenium ſatis capax ſecum adferunt, ut præceptorum ſeriem, doctrinæ ordinem & nexum, totiusque diſciplinæ iſtius œconomiam percipere poſſint; ſed ea ſolummodo addiſcunt, quæ quibusque diebus, menſibus, & annis diſcenda præſcribuntur, contenti aſcendere per claſſium gradus, nec reſpicientes, unde aut quo, quibusve paſſibus pervenerint. Ita in ſingulos dies vivunt & ſtudent in partes diſtracti, nunquam ad rei ſummam attenti. Ubi vero e ſcholis Grammaticæ ſunt egreſſi, amœniorum Muſarum illecebris capti, & majoris momenti, ut ipſis videtur, negotiis occupati, non amplius abſtruſæ huic arti penitus pernoſcendæ ſe impendunt. Quamobrem cura illius & æſtimatio brevi ex animo dilabitur, latini ſermonis neglectu protinus inſequente. Nimirum contingit heic literarum alumnis, quod mercatoribus maritimis: hi dum longo itinere per Oceanum vela faciunt, in navigio ſuo velut per otium multas nauticæ artis phraſes & regulas percipiunt, Caſtora & Pollucem,

cur-

curſumque ſiderum cum aliis obſervant, ventorum indolem & patriam ſcrutantur, maris æſtum & fluxiones reciprocas contemplantur, & ex acu magnetica locorum intervalla metiri diſcunt: major tamen eos ſolicitudo tenet, ut continuo provehantur longius, & portui adpropinquent; quem ubi attigerunt, quamprimum mercibus vendendis emendisque occupantur, & quæſtui faciendo inhiant diu noctuque, haud amplius nauticæ artis aut memores, aut ſatis gnari, certe parum curioſi. Ut itaque pauca de artificio Grammaticæ diſſeram, (quippe Inſtituti mei non eſt, univerſæ artis ideam proponere, omnesque illius partes enucleate complecti, ſed id ſolum agere, ut quisque ſanum de illa judicium ferre poſſit) poſtquam bene jacta ſunt fundamenta prima emendatæ, atque ad regulas Syntaxis elaboratæ conſtructionis, altius enitendum eſt diſciplinæ hujus Candidato, idque unice curandum, ut latini ſermonis præcipuas dotes *proprietatem*, *puritatem*, *elegantiam* & *copiam* ſibi comparet. Neque enim ſufficit Grammatico, ut ſine ſolœcismo ſcribat aut loquatur, & ſumma declinationum, generum & conjugationum capita norit, (qui infimus hujus artis gradus & labor eſt) quemadmodum nec Poetæ, ut errores metri

metri evitet, & ſyllabas metiatur. Sed ut pure, eleganter, ac copioſe loqui ſciat. Operæ igitur pretium erit, ſingulas has dotes exprimere vivis characteribus, & velut oculis legentium conſpiciendas præbere.

§. III.

Prima dos linguæ latinæ, proprietas ſermonis.

XII.

Pura idiomatis latini ratio ſeu proprietas quærenda eſt tum in vocibus, tum in ſententiis. Nam ſæpenumero contingit, ut ſingulæ voces, ex quibus componitur integra ſententia, agnoſcantur mere latinæ, ac civitate donatæ, ipſa vero ſententia a ſincero latinitatis ingenio, totoque Latio vel maxime remota ſit & aliena. Quod jam ad vocum proprietatem adtinet, has ejuſmodi eſſe neceſſum eſt, quæ latini ſermonis indoli ac moribus propriæ ſunt, & apud homines eloquio præſtantes uſu perpetuo receptæ. Hoc ut penitius intelligatur, noſſe oportet, Grammaticam linguæ latinæ magiſtram, quemadmodum Dialecticam & Rhetoricam, ex uſu & obſervatione hominum natam eſſe,

ita ut non idiomatis latini parens sit hæc disciplina, sed filia potius hujus ipsius idiomatis. Quippe dum homines rei hujus curiosiores vel in quotidianis collocutionibus, vel in publicis congressibus, ubi pro concione dicebatur, quid absonum, scabrum, rude ac distortum; contra vero quid consonum, politum, teres ac speciosum esset, studiosissime observarent, postmodum in usum & consuetudinem maturo consilio deduxere, certasque leges ac præcepta statuerunt, quibus bene loquendi artem complexi sunt, nimirum hanc ipsam, quam dicimus Grammaticam. Quare geminos locutionis magistros assignare licet: si consuetudinem observemus, populi Morem; si vero præcepta & regulas, Grammaticam. Posterius hoc satis loquuntur tot scholæ ac gymnasia ubique magnis sumtibus exstructa, in quibus quotidie pueri ac juvenes incredibili labore, simul ac patientia informantur: Prius vero dudum Julius Cæsar commendatum reliquit his verbis: *Origo eloquentiæ est delectus & observatio vocabulorum ac sententiarum.* Amplius quid asserere ausus est Priscianus: *Quamvis regula concedat dicere, tamen nisi in usu inveniamus, non temere debemus proferre.* Horatius autem de arte Poetica

æqua-

æqualem ipfis Regibus poteftatem tribuit ufui, dum canit:

Quem penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi.

Ex quibus palam eft, ea demum vocabula puram latinitatem fapere, quæ communi hominum eloquentium ufu trita; & confuetudine adprobata; impura vero, nec in Latio ferenda, quæ vel confuetudinis iftius auctoritate deftituta, vel barbaris illis temporibus recens nata, aut ex linguis alienis in fermonem invecta, vel ufu contrario funt abrogata. Quapropter triplex vocum rejicularum claffis ftatui poteft, fcilicet earum, quas vocamus *Novatas, Barbaras & Peregrinas, Obſoletas.*

Hæc de proprietate vocum univerfe: fingillatim vero illæ omnium judicio erunt puræ ac defæcatæ, quæ depromptæ fuerint ex auctoribus ætatis virilis, feu aureæ atque argenteæ, de quibus non ita pridem memini; quod fimilitudine aptiffima demonftrari poteft. Quam enim aquam dicimus effe puram, nifi quæ vel propior eft fonti, vel ex ipfo fonte hauritur? Teftem habemus Poetam canentem:

Purius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Si ita eſt, ea quoque vocabula latina erunt pura & propria, quibus uſi fuerunt ſcriptores, optimis Romanæ Reipublicæ temporibus vel non multo poſt florentes, quæque auctoritate ſua, velut Principes effigie propria monetas, ſignarunt. Nam inclinata Republica ſermonis quoque integritas ſenſim deflectere cœpit, & inſtar aquæ longius a fonte decurrentis miſceri fœcibus, vel alluvione peregrinarum linguarum, vel propriæ non ſatis cuſtoditæ corruptela. Nolim autem anguſtos nimium limites ponere regno latinitatis, ut nil niſi aurum & argentum e felicibus illis ſeculis in medium adferre liceat. Quamvis enim tyrones, qui primis linguæ hujus elementis atque principiis rite percipiendis operam navant, hac in re admodum religioſos, atque etiam ſuperſtitioſos eſſe velim, ne ſine freno licentius quam cautius incedentes in varia idiomatis iſtius vitia prolabantur, & quod Quinctilianus monet (n), aſſueſcant teneris annis ſermoni, qui poſtea dediſcendus ſit. Quando tamen confirmatis per prima principia viribus ſcholæ mancipatui liberior ætas ſucceſſerit, ubi ſuo quaſi ære vivitur, paullo plus licebit, nec crimini dabitur, ſi voces quædam melioris metalli etiam e ſcri-

(n) *Lib. 1. cap. 1.*

e ſcriptoribus ætatis argenteæ vel æneæ, ut Plinio, Curtio, Suetonio, Seneca, Floro, Statio &c. apte adhibeantur. Suffragatur enim his præjudicata opinio, eos non uſuros fuiſſe hisce vocabulis, niſi ea vel jam probata a majoribus accepiſſent, vel merito probanda a poſteris credidisſent. Multo minus illorum ſententiæ accedo, vel potius ſtultæ religioni, qui pollui ac execrari ſermonem ſuum exiſtimant, ſi non omni ex parte Ciceronianus ſit, aut vocula irrepat, quæ non ſit e Principis iſtius ſacrario deprompta; quaſi vero ſolus Cicero totum Latinitatis ærarium expilaſſet, ita ut reliqui omnes poſt ipſum mendicato vivere cogantur. Quis obſecro recte loqui aut poſſet de multis artibus ac opificiis; de Poemate, Hiſtoria, Architectonica: de textrina, ſutrina &c. de quibus altum in Cicerone ſilentium? Neque ipſe tam amplum ſibi arrogavit in voces latinas dominatum, & veluti monopolium: immo fatetur lubens, ſe aliquando in ſignificatu vocabuli cujusdam ob rei nauticæ imperitiam deceptum fuisſe. Nam quum libro primo de Oratore dixiſſet: *ut concitato navigio, cum Remiges* inhibuerunt, *retinet tamen ipſa navis motum & curſum ſuum intermiſſo impetu pulſuque remorum &c.* errorem ſuum ag-

novit emendavitque in epiſtola ad Atticum vigeſima prima libro tertio, quam ſeptem aut octo annis poſt ſcripſerat, his verbis: *Arbitrabar ſuſtineri remos, cum* inhibere *eſſent Remiges juſſi. Id non eſſe ejusmodi didici heri, cum ad villam noſtram navis appelleretur: non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant. Id ab* ἐποχῆ *remotiſſimum eſt* .... Inhibitio *remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim.* Quare illorum ſententia mihi ſemper placuit, qui in arte *Oratoria* cum Cicerone ac Quinctiliano: in *Poetica*, cum Virgilio, Ovidio, Horatio, Martiali, Catullo, Juvenali, Phædro: in *Hiſtoria* cum Jul. Cæſare, T. Livio, Cornelio Nepote, Salluſtio, Tacito, Curtio, Suetonio: in *Philoſophicis* cum Annæo Seneca, Plinio, Lucretio: in *Comicis* cum Terentio, & aliquando etiam cum Plauto: in re *Militari* cum Frontino, Vegetio, Cæſare: in *Medica* cum Cornelio Celſo: in *Architectonica* cum Vitruvio: in *Epiſtolis* cum Cicerone, Plinio Juniore: in re *Ruſtica* cum Palladio, Catone, Columella: in *Grammaticis* cum Varrone, Quinctiliano, ac Gellio loquendum eſſe arbitrantur, quum plurimæ vocum notiones in his omnibus occurrant, quæ in ſingulis deſide-

ran-

rantur; & quemadmodum Magiſtris in arte ſua credendum eſt, ita etiam vocabula, arti per eos ſcite accomodata, ſunt probanda, vel certe non temere rejicienda.

XIII.

Verum, inquiet fortaſſe aliquis, etiam poſt beata hæc florentis latinitatis ſecula nunquam defuere Viri doctiſſimi ac ingenio ſummo pollentes, qui denſas inter tenebras artium linguarumque ævo illo, quod Medium vocant, ſcripſerunt idiomate latino & præclara in vario ſcientiarum genere monumenta nobis reliquerunt. An horum omnium verbis & vocibus aqua & igne in Latio interdictum volumus? Non auſim ego quidem inficiari, uti omnem ætatem, ita illam quoque ſcriptores progenuiſſe doctrina & ingenio maxime conſpicuos, latinitatis tamen Proceres fuiſſe neutiquam conceſſero. Magnum etenim quemadmodum inter voces, ita etiam inter ſcriptores ipſos diſcrimen fieri oportere contendo. Fuerunt procul dubio illis quoque temporibus Auctores non pauci, eximia mentis acie inſtructi, qui diverſos pulcherrimosque in ſublimioribus præcipue ſcientiis fructus ingenii ſui nobis obtulerunt; ſed in vaſis plerumque ſordidis &

lutulentis, nec tam ſuo, quam temporum illorum vitio, uti pridem monui: ſiquidem Viri illi boni non tam de verbis, quam de rebus ſoliciti erant, cum Manilio canentes (o):

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Quare voces barbaras, quæ ante illorum oculos continuo obverſabantur, & circum aures quotidie ſtrepebant, calamo profuderunt liberaliſſime, & ſi quæ pura vocabula e linguæ Romanæ fontibus hauſta ſæpe velut incogitantes proferebant, mox uſu malo & idiotismis contaminarunt. Itaque quotquot eruditionis ſtudio incenſi Auctores iſtos legunt, conchytas imitari debent, qui poſtquam margaritas collegerunt, conchas procul abjiciunt.

Supereſt, ut vocibus barbaris & peregrinis a ſermone latino abeſſe juſſis, adhuc pauca dicam de verbis tum iis, quæ Obſoleta, tum illis, quæ Novata vocamus, qua ratione vel noceant, vel proſint ejusdem integritati. Prioribus, licet Ennii, Pacuvii, & Accii ætate in honore habita fuerint, modo tamen pretium vix non omne ipſa vetuſtas abſtuliſſe videtur, & plus ſerviunt legentium admirationi, quam loquentium aut ſcribentium uſui;

fere

(o) *Aſtron. lib.* 3.

fere ſicut antiquarum arcium rudera viatoribus ſpectanda quidem ſe præbent, neutiquam tamen habitanda. Quodſi parce nec ſine conſilio adhibeantur, antiquitate ſua conciliare auctoritatem poſſunt ſermoni, vel certe leporem, præſertim vocabula Plautiniana, quæ non modo tolerabilia ſunt, ſed ſæpe etiam pergrata. Nam ut Nicolaus Cauſſinus noſter, vir in literarum negotio expertiſſimus, obſervat: *antiquum verbum in loco poſitum dignitatem & gratiam habet*; quam ne perdant, opus eſt, ut non ſint crebra, nec manifeſta, neque ab extrema vetuſtatis Thule petita, ſecus enim plus oſtentationis præſeferrent, quam eruditionis, id quod optime advertit Eraſmus, jure dicens, rideri hodie illos, qui immodica & intempeſtiva affectatione veſtutatis e duodecim Tabulis, ex Ennio Lucilioque petunt ſermonem, proinde quaſi cum Evandri matre loquerentur; nec ullum verbum elegans eſſe putant, niſi quod ſit ab uſu vulgari remotum. Quid? quod pene ridiculum ſit, malle ſermonem, quo locuti ſint homines, quam quo loquuntur (p). Itaque antiqua verba

Pacuvii Proavis, Atavisque utenda relinque.

At

(p) *Fabius Lib.* x.

At de posterioribus seu verbis novatis non ita pronum est certam ferre sententiam. Sunt enim, qui novas voces, quæ nullo in priscis Auctoribus vestigio se produnt, non minus nauseant, quam novos mores, aut novas vestes. Satis divitem esse contendunt Romanæ linguæ penum, ut necesse non sit, aliunde alimenta conquirere, quibus vocabulorum famem pellere possis. Accedit, quod si semel hæc porta pandatur, quilibet pro libitu suo novorum verborum plaustra in Latium invehet, & antiqua Gothorum ac Vandalorum tempora redibunt, quæ tantam Romano Imperio & bonis artibus vastitatem intulerunt. Sed nescio, an satis justa sit querela hæc: ut nihil dicam, hoc nova vocabula passim reprobandi studio pauperem denique reddi linguam latinam, non secus ac ærarium, de quo semper aliquid demas, & nihil unquam novi addas. Certe auctoritas, necessitas, & utilitas longe aliud suadent. Auctoritas quidem; nam si Ciceronem consulamus, aperte probat novitatem quandam in latino sermone, dum ait (q): *Etiam verba parienda sunt, imponendaque nova novis rebus nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans in omni*

(q) *Lib. de finib.*

omni arte, cujus usus vulgaris communisque non sit, multam novitatem nominum esse. Tum postquam satis longum eorum syllabum produxit, hæc subjungit: *Quo magis hoc Philosopho faciendum est: Ars est enim Philosophia vitæ, de qua disserens accipere verba de foro non potest.* Oratoris judicio suffragatur Poeta. Nam Horatius canit (r):

In verbis etiam tenuis, cautusque serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum si forte necessum est,
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.

Non raro etiam necessitas ad hoc faciendum nos cogit, & vel nolentibus amicam vim infert. Quippe ea vivimus tempora, quibus & reipublicæ sacræ & profanæ ratio plurimum immutata est. Profecto longe diversam hodie induerunt faciem res Ecclesiasticæ, Politicæ, Tribunalia, Scholæ, artes Musicæ, Bellicæ, Philosophicæ, Medicæ, ipsa adeo opificia, & rura; quas novitates cunctas ut ore vel calamo decenter apteque exprimas, frustra eris, si

(r) *De art. Poet. v.* 46.

ſi totam aureæ argenteæve ætatis, aut etiam æneæ ac ferreæ ſupellectilem excutias. Exemplum adfero e re militari depromptam; unum quidem, ſed quod instar plurimorum in omnibus fere diſplicinis. Audies forte voces *Ravelinum*, *Bomba &c.* Indignaberis, & e Julio Cæſare aut Vegetio ſubſtitues priori *propugnaculum portæ civitatis præſtructum:* poſteriori *globum miſſilem*, vel *ollam igniariam.* Sed neſcio qui fiat, ut necdum bene intelligamus id, quod Ravelinum aut Bombam vocamus. Nam & *forcipula ſimplex* vel *compoſita*, item *opus cornutum* aut *coronatum* ſolet exſtrui ante portam, quin ſit Ravelinum; & globus ferreus ignitus eſt *Miſſilis*, ac *mortarium* eſt *olla igniaria*, quin ſit Bomba, per quam ſignificatur globus ferreus, cujus venter cavus eſt, & pulvere pyrio refertus, quoque incenſo ille in auram ejaculatus in fruſta diſſilit. Quantum autem ſæpe nos premit neceſſitas, & ad inveniendas novas voces urget, tantum alia ex parte invitat utilitas, dum quod unico ejusmodi verbo abſolvi poſſet, longa & odioſa circuitione ſit exponendum, quæ rem oppido reddere ſolet obſcuram, ac linguæ nuditatem non ſatis honeſte tegit. Idem eſto judicium de quibusdam vocabulis,

bulis, quorum in Philoſophia, Juris ſtudio, & Theologia non infrequens uſus eſt. Unum rurſus pro multis exemplum pono. Quid prohibet, dicere *Ens*, *Eſſentia* &c. dicente Quinctiliano (s): *Multa ex Græco formata, nova ſunt, ut ens & eſſentia, quæ cur tantopore aſpernemur, nihil video, niſi quod iniqui judices adverſus nos ſumus, ideoque paupertate ſermonis laboramus.* Omnium vero maxime, ne verborum novitatem tantopere averſemur, jure quodam ſuo expetunt tot artes vel recens inventæ, vel in dies plurimis auctæ incrementis incredibili hominum ſeu curioſorum ſeu ſagacium induſtria, quæ ſane non poſſunt carere technicis vocibus, quam parum arbores foliis. Eſt autem tanta earum copia, ut Viri eruditi integra de illis lexica magno labore, majoreque patientia conſcripſerint. Non injucundum credo accidet audire, quæ hac de re Adamus Fridericus Kirſchius, ſcriptor Acatholicus, in *Cornucopia linguæ latinæ* ſextis vel ſeptimis jam typis edita ſatis eleganter præfatus eſt: „Permultarum, inquit, re„rum nomina, & loquendi formulæ La„tinis pariter ac Græcis ignotæ, noſtris „tamen temporibus Germanis & Gallis „aliisque Nationibus uſitatæ, omnibus „ fer-

(s) *Lib.* 8. *cap.* 2.

„ ferme in Lexicis ſive Dictionariis ma-
„ nualibus fruſtra quæruntur, quæ tamen
„ in lucem proferendæ ſint, & juventuti
„ ſcholaſticæ aut vetuſtatis imitatione, aut
„ verborum nova compoſitione, aut vo-
„ cabulis novis vel fictis, vel quaſi nati-
„ vis, aut permutatione, a Græcis atque
„ Latinis vocabulis translatis, ſuppeditan-
„ dæ. Hunc autem laborem, cum (meo
„ quidem judicio) nemo exceptis *RR. PP.*
„ *Michaele Pexenfeldero*, & *Franciſco Po-*
„ *mey*, *Societatis Jeſu Sacerdotibus*, Viris
„ haut vulgaris eruditionis, in ſe ſuſcepe-
„ rint, ea ex cauſſa immortalem reſpu-
„ blica literaria eis adhucdum debet gra-
„ tiam; Iſti enim tot rerum adpellationes
„ novas, ille in Adparatu ſuo Eruditionis,
„ hic in Dictionario ſuo, orbi litterato re-
„ liquerunt, ut de plurimis, quin imo
„ omnibus neceſſariis vitæ communis par-
„ tibus & terminis technicis artificum &
„ operariorum, pariter ac rei militaris,
„ latine loqui poſſemus &c. „ Ne vero,
ut ſupra objectum eſt, voces novandi li-
centiæ porta pandatur, duplex regula ſta-
tui poteſt: prima, ut antiqua verba pura
& caſta, rebusque novis ſignificandis ſat
idonea religioſe retineantur, & eligantur
præ deterioribus: altera, ut nova tunc,
quando nonniſi longa circuitione res ex-
pli-

plicari æque bene per vetera possit, aut hæc omnino deficiant, rejecta omni superstitione assumantur.

XIV.

Satis multa verba fecisse videor de proprietate vocum: restat, ut paucis de illa, quæ sententiæ est, dicam, ad quam non sufficit, ut verba probe latina, maximeque propria, & ad regulas Syntaxis rite conformata, velut materiam operi struendo præparatam, adferas, si non ipsa sententiæ structura sit ejusmodi, quæ respondeat locutionis methodo, apud latinitatis germanæ cultores passim receptæ. Habent enim non solum voces, sed etiam sententiæ characterem quemdam sibi proprium, quo puræ ac genuinæ a spuriis & impuris discriminantur; idemque faceret, qui verba quidem apta in unam orationem cogeret, moribus tamen linguæ latinæ ac usui repugnantem, quod pictor, qui ad Palladis effigiem formandam optimos adhiberet colores, eo tamen situ cultuque membrorum, qui ab humani muliebrisve corporis imitatione plurimum abhorret; quo fiet, ut Palladis loco Medusa quædam prodeat. Et utinam non hoc vitii genus quam turpe est, tam frequens foret

etiam

etiam apud vulgus Grammaticorum, qui ſoli clavem ad Latii portam ſibi videntur cuſtodire, dum ſolœcismorum venatione perpetuo occupati, & vocibus minus latinis exterminandis ubique intenti, nihilominus ſcholæ ſubſellia, & integra non raro volumina humilibus implent ſententiis, e trivio petitis, vel ſuopte ingenio altius non eluctante, vel idiotismi vitio, dum verba latina ad patriæ linguæ morem ac ſenſum bona quidem fide, ſed malo exemplo detorquent. Idiotismum voco, ſeu ſermonis modulum, quo nulla caret lingua, ſeu Græca ſeu Latina, ſive Gallica, Itala, Hiſpana, ſive Germana, quum quælibet proprias quasdam rem, de qua loquitur, exprimendi formulas velut congenitas ſibi habeat. Si jam germanico aliove utaris idiotiſmo, eumque latinis vocibus ad verbum reddas, profecto neceſſe eſt, ut abſona, jejuna, & miſera prodeat oratio. Exempli loco ſit vel unica hæc dictio: *Plurimi milites partim ex defectu vitæ remediorum, partim per manus hoſtium in campo manſerunt.* Sehr viele Soldaten ſind theils aus Abgang der Lebensmittel, theils durch die Hände der Feinden in dem Feld geblieben. En! quid latinius ſingulis verbis? Quid vero magis a ſincera latinitate abhorrens, quam tota

tota ſententia? Hanc ſi melioris ævi Auctores ſequaris, ita reddes vere latinam: *Plurimos militum partim annonæ inopia, partim hoſtilis gladius in caſtris ſuſtulit.* Nimirum ſunt vocabula non pauca, quæ ſignificandi proprietatem, quam habent, perdunt continuo, ſi aliis male jungantur. Atque ab hoc vitio maxime ſibi cavere debent tyrones, quando vel ſuis relicti viribus latino idiomate penſa ſcholaſtica perſolvunt, quæ in vernacula lingua fuerunt impoſita; vel quando familiari colloquio utuntur, ubi valde pronum eſt, ut dum vim poteſtatemque ſermonis hujus e bonorum auctorum lectione nondum ſatis cognitum habent, ad idiotiſmos ſuæ linguæ proprios deflectant, & miſeras plane ſententias invita Minerva progignant; cujus rei triſte habemus teſtimonium in pleriſque libris a Seculo IX. uſque ad XIII. & ultra conſcriptis. Neque hunc errorem graviſſimum meo quidem judicio tolerabilem reddere poteſt conſuetudo, quæ alias uti legum, ita verborum optima interpres eſt. Sed huic ipſi neceſſarium eſt judicium teſte Quinctiliano (t): Nam conſuetudo, *ſi ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præ-*

(t) *Lib.* I.

præceptum non orationi modo, sed quod majus est, vitæ. Semper enim plures erit reperire, qui licet videant meliora probentque, tamen deteriora sequantur. Igitur consuetudo loquendi, qua quis inter literatos tueri se possit, erit *consensus eruditorum, sicut vivendi consensus bonorum.* Hæc de prima dote linguæ latinæ.

§. IV.

Secunda dos: Elegantia.

XV.

Ad alteram pergamus, scilicet ad ejusdem elegantiam, quæ secundas, sed priore non minores curas requirit. Imitari hac in re oportet civitates bene moratas, quibus satis non est, ut plateæ sint mundæ, & a sordibus expurgatæ, ut ædes non sint fuligine conspersæ, aut hiatibus plenæ, ut viæ publicæ ruinis ac ruderibus non impediantur: sed magna insuper cura, & sumtus non modici eo convertuntur, ut tota civitas privatarum domuum nitore, palatiorum magnificentia, fori & curiæ amplitudine, fontium aliorumque operum publicorum structura elegantiam induat, quam fieri potest maximam: quin videmus, cultiores quasque gentes, etiam

etiam Moſcos, Perſas, & Turcas, hisce præſertim ſeculis, in veſtibus, conviviis, conclavibus, hortis, ritibus ſacris ac profanis, non ſolum munditiei, ſed etiam delectus cujusdam & gratiæ perquam eſſe ſtudioſos. Cur igitur non etiam decoris ratio habeatur, & ſimile ſtudium linguæ ac ſermoni, præcipuo illi humanæ ſocietatis inſtrumento impendatur? Hæc autem ſermonis latini elegantia, de qua loquor, ſita eſt in quodam loquendi genere a communi uſu ac vulgi moribus remoto, quod nobile aliquid, & ſplendidum præſeferat neceſſe eſt, quemadmodum in humanæ vitæ negotiis quotidie experimur, ubi maximum intercedit diſcrimen, ruſticus ſit an nobilis, qui munere quodam fungatur: alio enim iſte cultu & venuſtate rem eandem perficiet, ac ille. Ipſum vero loquendi genus hoc gemmas illas latinitatis complectitur, quas Grammatici *modos loquendi* ſeu *phraſes* adpellant, ex optimis aurei præcipue ſeculi ſcriptoribus collectas, quæ ſingularem quemdam nitorem ſaporemque reconditum in ſe habent. Ejusmodi tres centurias Sylvius, multas ſelectiores Buchlerus, plurimas vero Hadrianus S. R. E. Cardinalis S. Chryſogoni in egregio opere *de ſermone latine loquendi* congeſſit; quorum veſtigiis inſi-

ſtens Franciſcus Wagnerus S. J. vir de literis optime meritus integram Phraſeologiam lectiſſimis linguæ hujus floribus refertam hoc ævo Viennæ vulgavit, nunquam ſatis laudandam. Has igitur phraſes opus eſt, ut qui ſermonis elegantiæ ſtudent, familiares ſibi reddant tum lectione multa, tum longa exercitatione. Ita fiet, ut nobile hoc alimentum, a ſummis in latio heroibus ſubministratum, in proprium veluti ſanguinem & ſuccum convertant, dataque loquendi aut ſcribendi occaſione vel iisdem vel non multum diſſimilibus orationem ſuam condire noverint, ſine quibus cæteroqui jejuna erit & inſipida, vel certe, quod Tacitus dixit, *magis extra vitia, quam cum virtutibus.*

XVI.

Juvat ad interiora hujus artificii penetrare. Quatuor potiſſimum ſunt, quæ miram dictioni elegantiam conciliare ſolent: Primo quidem aptus particularum, ſeu Præpoſitionum, Proverbiorum, Conjunctionum &c. uſus, qui latiſſime patet, & ſingulis fere periodis redit; quemadmodum ſi dicas: *Res hæc nihil admodum negotii faceſſivit*, pro vix aliquod negotium: *Sub noctem in urbem rediit*, id eſt, circa

circa noctem: *Præ foribus stat*, loco ante fores. *Malum* indignantis est: *Quænam malum! ista turpis servitus est? Nihilominus* sæpe non ineleganter dividitur: *Nihilo tamen minus. Æque* jungitur cum *Ac*: *nemo rei bellicæ æque peritus fuit ac Vegetius. Quoad* refertur ad locum & tempus: *Quoad Alexander Romæ sub parentum disciplina fuit, probus erat. Secus* pro male: *Recte an secus, parum ad me adtinet. Tanti* pro expedit: *Tanti est, rem silentio tegere. Temere* pro casu: *Non temere ad te accessi. Usque adeo* epiphonemati servit: *Usque adeo expedit in bello celeritate uti.* Hujusmodi particularum formulas invenire licet in aureo Horatii Tursellini S. J. opusculo sane quamplurimas, quas sedulæ apis instar ex optimorum auctorum floribus collegit. Exilis quidem hic labor cuidam videri posset, particularum istarum cognitione occupari; sed jure illud Poetæ heic dixerim:

In tenui labor, at tenuis non gloria &c.

Alterum quod sermonis elegantiæ servit, est verborum collocatio. Plurimum enim interest, quo ordine verba ponantur, qui si bonus fuerit, sententia quoque nitida erit, secus squallida; quemadmodum in

cubiculo fieri amat, cujus decens ornatus vel maxime pendet a recta sellarum, mensarum, vasorum, picturarum &c. ordinatione. Ita quamvis verbum plerumque periodum claudat, tamen eleganter *meus, tuus, nullus* &c. in illius finem rejicitur: *Si consilium admitteres meum: res hæc commodum fert nullum, onus vero imponit maximum.* Genitivum inter & substantivum scite interjicitur vox aliqua: *Tui pectoris admiratus sum magnitudinem.* Comparativa & superlativa initium ac finem amant: *Tua dicendi methodo nihil ordinatius, elegantius nihil invenitur.* *Magis, quam* belle conjunguntur: *Stulti vituperio delector magis, quam laude sapientis.* Vocabula composita non raro disjunguntur: *Rem vero publicam strenue defendit.* Præpositio sæpe collocatur post *cujus, quorum: cujus in ædibus? quorum ad conventum?* Item accusativus post infinitivum: *Mirari se ait.* Particulæ *si, nisi, ut* eleganter verbo proxime adhærent: *Hoc tu si promiseris: e conspectu quamprimum ut abscedas, suadeo.* Plura ejusmodi collocationis exempla suggerit Sylvius, hac in re mire sagax & industrius; quemadmodum & in singularibus quibusdam, quos congessit, latinitatis floribus, quod tertium elegantiæ genus est.

Hi

Hi autem flores non ex agris & campis vulgarium ac recentiorum, sed ex antiquorum & omni exceptione majorum scriptorum hortis sunt legendi ac decerpendi. Artificium quod in iis observarunt gnari latinitatis, consistit potissimum *primo*: in frequentiore participiorum & ablativi absolute positi usu, ut si dicas: *Nuper admodum proficiscenti mihi in Germaniam exhibitæ sunt literæ, nunciantes mortem Cognati, Viri sane optimi: Nulla interjecta mora in patriam redii, etiam relicto itineris socio, & abjecta spe amplioris fortunæ.* Ecce! quam elegantior est hæc sententia præ ista, quam fortasse alius de plebe proferret: Primum nuper, cum in Germaniam proficiscerer, datæ sunt mihi literæ, quæ nunciaverunt morbum Cognati, qui sane vir optimus erat: Nullam moram interjeci, sed statim in patriam redii, postquam itineris socium reliqui, & abjeci spem amplioris fortunæ. *Secundo*, si duas sententias in unam latente artificio contrahas in hunc fere modum: *Veniam dabis nimio in te amori meo: insolens quædam sciendi cupido facit, ut dies noctesque vigilem.* Quam longe alia pulchriorque facies est hujus sententiæ, ac illius, quam subjungo: Veniam dabis, quod nimium amem te: diu

noctuque vigilo, quia nimis sciendi cupidus sum. *Tertio*, si apte immisceantur quidam locutionis modi, quorum rationem aliam dare non possumus, præter morem præstantis alicujus auctoris, v. g. *Triste lupus stabulis: varium & mutabile semper fœmina.* Virgilius: *Parentes, liberos, fratres vilia habere.* Tacitus: *Hæc me ut confidam, faciunt.* Cicero: *Ultimum dimicationis* (scilicet tempus) Livius &c. Plura ejusmodi locutionum genera qui desiderat, Sylvium consulat.

Quartum, quod elegantiæ non parum adfert sententiis, est idoneus partium sermonis omnium inter se nexus; sicut in humano corpore membra quævis, licet a natura sint optime formata, officio tamen suo fungi non possunt, nisi nervorum, vertebrarum & musculorum ope tota compages bene cohæreat. Fit autem nexus iste per metatheses seu transitiones, ut vocant, dum per particulas aliquas, vel etiam, si prolixior est oratio, per integras sententias quasi via sternitur, qua non solum impune, sed etiam cum decore liber transitus pateat ab una parte ad aliam. Ejuscemodi sunt prioris generis: *Et, ac, nec, neque, ut, quum, quod, ne quidem, nihilominus, nisi, quare, igitur: quamvis, enim, quippe, profecto, sane*

ſane &c. poſterioris vero: *Satis multa verba feciſſe mihi videor de honeſtate: reſtat, ut de utilitate dicam.... Longum eſt perſequi ſingula, manebo ut inſtitui, in genere univerſo.... Jam vero ad id, quod eſt hujus cauſſæ caput, accedamus.... Sed hæc fortaſſe ferenda: illud vero quis ferat? Atque ego de re ipſa poſtea diſſeram: nunc de conſilio dicere libet. Nolo plura dicere quam temporis ratio poſtulet.... Quorſum alio nolentes abrepti ſumus? ad rem redeamus.... Hactenus quæ domi geſſit, nunc quæ foris.... Hæc miſſa facio: illud quæro,* & quæ ſunt alia rei hujus paradigmata e Ciceroniana penu deprompta. Verum hæc connectendi cura non ſit nimia, & ſtudioſe quæſita. Potius naturam dictionis ſequi oportet, quam artem, quæ in his ſæpe plus faſtidii quam delectationis poſt ſe trahit. Ipſe Cicero in aliquibus tam orationibus, quam epiſtolis ſuis de variatione nexus non admodum ſollicitus fuiſſe videtur, ſed grata quadam quaſi negligentia & ſimplicitate uſus eſt.

XVII.

Sed quid de illis dicendum elegantiis, quas nonnulli, idque ſatis frequenter, tum e Parnaſſo, tum e figurarum & troporum armamentario non ſine vi ac ſtre-

pitu in ſermonem adducunt? Certe ſunt noſtra quoque ætate, qui in tanta latinitatis luce cæcutiunt, & aureo natos ſeculo ſe arbitrantur, quando audacibus metaphoris, coacervatis ſynonymis, verbis modo ſimiliter cadentibus, modo rubigine exeſis, & poeticis phaleris orationem conſpurcant potius quam exornant. Quis ferat pacificis auribus dicentem: *Sed nunc vela ſermonis mei plenis buccis & murmurantibus ſibilis ex alto inflent Æolicæ aulæ Proceres, & orationis navigium concitatis remis per ſalſos Oceani campos in epilogi optatum portum invehant. . . . Quid dicam de ſtudioſis otioſis? nunquid ſunt reipublicæ literariæ glaucoma? Sunt enimvero. Nunquid ſunt ſcholarum gangræna, temporis charybdis, ærugo ingeniorum, hydropiſis nummorum, uno verbo, mundi literati apoſtema? Sunt enimvero. An tu non hos ad Garamantas & Indos, & in ultimam Thulen averruncantis naturæ vomitu rejiciendos exiſtimas?* Illud vehementer dolendum, quod ejusmodi homines de neſcio qua ſublimi eloquentia ſibimetipſis ſint ſuſpecti, immo palam ſibi gratulentur, ſeque in Latio gigantes eſſe credant; alios vero, qui nugas iſtas & quisquilias ſermonis averſantur, tanquam pygmæos grandi ſupercilio deſpiciant.

ciant. Hos latinitatis mangones nullius ætatis suffragio comprobatos, quisquis bonas literas amat, cane pejus & angue fugiendos sibi existimet. Ea enim est linguæ latinæ majestas, ut phaleris hujuscemodi ac parergis opus minime habeat; sed nativo quodam cultu ac nitore vestita in publicum prodire assuevit. Præclara est, & critica M. Tullii hac super re sententia, dum a humili non minus, quam a superba dictione cavendum esse Isocratis exemplo monet (u): „ Dicebat Isocrates, doctor singularis, se „ calcaribus in Ephoro, contra autem in „ Theopompo frenis uti solere: alterum „ enim exultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem & verecundum incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri „ affinxit, quantum de altero limavit, „ ut id conformaret in utroque, quod „ utriusque natura pateretur. „ Quare apud probum Magistrum officii pars non minima erit, ita tyronum studia moderari, ne extra latinitatis orbitam saltent; crebroque putandæ vites erunt, & resecandi inutiles pampini, quamprimum luxuriare incipiat sermo; secus frustra exspectabitur vinum merum & defæcatum.

§. V.

(u) *Lib. de Orat. n.* 36.

§. V.

Tertia dos: Verborum copia.

XVIII.

Tertia demum ſe ſe offert idiomatis latini dos, nimirum copia verborum. Hæc ſi deſit, cæteræ parum adferent præſidii ad tuendum linguæ latinæ honorem. Quis enim eſt, qui hoc in negotio tanta ingenii egeſtate laboret, ut ne unam quidem alteramve ſententiam propriis ac genuinis verbis, quod ad primam dotem, atque etiam cum elegantia quadam, quod ad alteram ſpectat, proferre poſſit? At, qui copioſe loqui ac ſcribere norint, ſane paucos eſt reperire. Quæ tamen dos eſt adeo neceſſaria, ut qui ea deſtituuntur, nullam orationis longioris moram cum dignitate ſuſtinere, vel prolixioris paullo ſermonis iter emetiri queant; ſed vel omnino quaſi deficiente halitu ab inſtituto curſu ceſſandum ipſis erit, vel eadem ſemper verba, atque eædem phraſes recurrent cum maximo ſeu legentium ſeu audientium faſtidio. Quis obſecro non ſtomachetur, ſi eandem quotidie offam, eundemque cibum in menſam inferat cocus, nec alio juſculorum aut condimentorum genere variatum, ſemper lixum, nun-

nunquam aſſum aut frixum? Quem Muſica demulcebit, quando ſimiles ſemper voces, nec diſpares ſoni ſe auribus aſſidue ingerant? Non fruſtra eloquens & copioſa oratio flumini comparatur, quod ſi aquis duntaxat iis, quas e fonte ſecum trahit, aleretur, nec aliis rivis per intervalla ſe in illud exonerantibus perpetuo augeretur, brevi deficeret, nec niſi ſicca poſt ſe veſtigia relinqueret. *Non igitur dubium eſt*, ſi Quinctiliano credimus (x), quin linguæ latinæ *velut opes ſint quædam parandæ, quibus ubicunque deſideratum erit, poſſit ei conſtare copia rerum & verborum.* Sed copia rerum non tam ampla eſt, ac verborum. Ea enim eſt rerum indoles, ut nonniſi propriæ ſint ſingulis ſententiis, quibus explicantur, paucis communes. At verba latiſſime patent; ſecus modica illorum cura eſſet habenda, quum velut ſponte ſua cum ipſis, quas ſignificant, rebus ſe ſe offerant. Equidem verum eſt, eſſe aliqua ex verbis, quæ ſolum cum certo rerum genere vel cum certa ſpecie congruant, ſicuti: Agni *balant*, porci *grunniunt*, aviculæ *minuriunt*, leones *rugiunt*, leopardi *rictant*, elephanti *barriunt*, ranæ *coaxant*, equi *hinniunt*, canes *latrant*, aſini *rudunt*, tauri

(x) *Lib.* 10. *cap.* 1.

tauri *mugiunt*, lupi *ululant*, corvi *crocitant*, gallinæ *glocitant*, pulli gallinacei *pipiunt*, ciconiæ *glocorant*, hirundines *fritinniunt*, ſerpentes *ſibilant &c.* plerumque tamen non ſingulis rebus ſingula duntaxat verba reſpondent, ſed plura ſæpe eandem rem ſignificant, aut certe eidem adplicari poſſunt, ita tamen, ut alia ſint magis propria, vel magis ornata, vel melius ſonantia, aut plus energiæ contineant, quam alia. Quare in promptu ſint oportet, atque ut ita dicam, in conſpectu, ut quando dicendum eſt ſcribendumve, facilis ſit optimorum electio. Eſt autem hæc, de qua loquor, verborum copia in eo potiſſimum ſita, ut aliis atque aliis verborum formulis eandem rem conveſtire, illique novam compluries ſpeciem inducere noverimus. Ita fiet, ut dum idem dicimus, aliud ſemper dicere videamur, absque inani verborum circuitu, quem Græci Battologiam, vel Tautologiam vocant, quæ inter vitia ſermonis ponuntur. Hac in re ita excelluit Cicero, ut ſi forte in aliquo dicendi genere parem habuerit, in hoc plane neminem ſe ſuperiorem. Nam in orationibus ſuis tanta verborum & figurarum varietate idem ſæpenumero argumentum perſequitur, ut novum ſemper ſplendorem ac vigorem,

gorem, novam vim & energiam præseferat, nec altius attolli posse videatur. Hac arte ita Verris & Antonii flagitia perstrinxit, ut horrenda oculis adparerent, & auribus intolerabilia: ita populum in suam flexit sententiam, ut vix non prius quam ipse suaderet, ille persuasus jam esset: ita in Cæsaris animum ejus facta prædicando penetravit, ut Vir cæteroqui sibi maxime constans tamen sub eadem oratione sæpius vultum mutasse legatur.

Si jam in artificium inquirere libeat, quo hæc verborum copia paretur, ad sex præcipue capita revocari potest, e quibus ipse Tullius id depromsisse videtur. Primum est synonymia, seu congeries verborum, idem fere significantium, ut si gladii loco *ensem*, *ferrum*, *mucronem*, pro jucundus *lætus*, *hilaris*, *festivus*, *amænus*, *suavis* dicas. Integram horum silvam subministrant Phraseologiæ, synonyma, & Flavissæ. Alterum est, Enalage, latinis commutatio unius partis in aliam, e. g. adjectivi in substantivum, numeri pluralis in singularem, verbi in nomen, & vicissim, ut *elegantia sermonis* pro elegans sermo: *omnem angulum excussit* pro omnes angulos: *vehemens pluvia cecidit*, pro vehementer pluit. Tertium est Periphrasis seu circumscriptio per definitiones,

nes, cauſſas, effecta & adjuncta; quemadmodum ſi in locum hujus ſententiæ: *Apoſtata factus eſt*, ſubſtituas ſequentes: *A vera fide defecit: noxia libertas vivendi a vera fide eum abſtraxit: veram fidei ſemitam deſerendo per avia & invia errorum miſere circumferebatur: dum male cautus aures errorum præconibus præbuit, & voluptatum illecebris ineſcari ſe permiſit, brevi tempore eo prolapſus eſt, ut veram cum falſa religione permutarit &c.* Quartum caput eſt metaphora (translationem Latini dicunt) quando ſcilicet verbum a propria vi ſignificandi ad aliam ob ſimilitudinem quandam, quæ intercedit, transfertur. Ita Virgilius (y): *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?* nempe fames pro cupiditate: *Duo fulmina belli Scipiadas* (z), fulmina pro acerrimis belliducibus. Servit huic figuræ totus fere mundus: elementa, mineralia, arbores, plantæ, animalia, quin & cœleſtia, quorum omnium natura quo magis perſpecta habebitur, eo felicior prodibit metaphora. Quintum eſt comparatio: ſic hominem inconſtantem recte adpellabis *Proteum*, vel *luna mutabilorem:* avarum, *a quo pecunias difficilius, quam a pumice aquas obtinebis.* Poſtremum denique

(y) *L.* 3. *Æneid.* (z) *Lib.* 6.

nique Isodynamia græcis, Logicis Æquipollentia, perquam fœcunda varietatis mater, quæ verbis contrariis constat, addita vel dempta particula *non*, vel alia simili, ut si dicas; *nihil albedinis inest Aethiopi*, pro niger est Æthiopis: *Minime omnium egena frugum est hæc regio*, pro fertilis est. En! quantæ sint opes, quas in Latium profundit verborum copia, e fontibus istis studiose quæsita: & quamvis initio res hæc non careat difficultate apud tyrones, si tamen lectioni præstantium Auctorum frequens exercitatio styli accedat, etiam non rogatæ aderunt hæ sermonis charites. Gemini autem scopuli hac in re sunt vitandi, monente Quinctiliano (a), tum ne frequens adhibeatur variatio, quæ meris constat synonymis. *hoc enim esset puerile, & cujusdam infelicis operæ*, nec nisi ad turbam verborum serviret, in qua quodvis sine discrimine quemvis occuparet locum dictionis: tum ne in variatione ista plus speciosum aliquem locutionis circuitum quæramus, quam significandi vim, dicente eodem: *Nobis autem copia cum judicio paranda est, vim orandi, non circulatoriam voluptatem spectantibus.*

CAPUT

(a) *Lib.* 10. *cap.* 1.




CAPUT IV.

STILUS, SEU DIVERSA DICENDI GENERA.

§. I.

Varietas Stili.

XIX.

Explicatis linguæ latinæ dotibus operæ pretium erit, de ſtilo diſſerere paullo curatius, quoniam plurimum intereſt, non ſolum ut ejusdem characteres probe ſint noti (id quo nihil ad intelligendos æſtimandosque auctores magis neceſſarium) verum etiam ut ſtilo quam optime latino a teneris ſtudioſa juventus informetur, utpote quem non tam facile maturior facta dimittet; quemadmodum

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Veteres, qui ſermonis latini præcepta literis mandarunt, diverſis uſi ſunt nominibus, quibus ſtili rationem exprimerent: modo phraſin, dictionem, characterem, modo filum ſermonis, ejusdemque habitum,

tum, modo tenorem, formam, & figuram dicendi nuncupant, diversis quidem vocabulis, sed eodem sensu. Communius autem, & ad rem præsentem accommodatius dici potest, stilum de quo heic loquimur, esse habitum quemdam sermonis, a natura cujusque hominis inchoatum, & ab arte perfectum. Utraque enim harum ad efformandum stilum concurrat necesse est: natura quidem, ut is velut sponte fluat, nec violenti aliquid secum adferat; ars vero, ut ejusdem regulis expoliatur, & intra limites contineatur, ne fluctuet vel vagetur. Nullus autem certior index est ad cognoscendos explorandosque auctores, quam stilus, qui quamvis pro ratione ætatis, in qua scribitur, vel argumenti, de quo scribitur, vel animi habitus, qui ad scribendum adfertur, non raro in eodem auctore nonnihil varietur, nunquam tamen ita faciem omnino mutare solet, ut dignosci non queat, e quo fonte manarit. Observare id licet in Cicerone, stili latini perfectissime ordinati principe, ut multi credunt. Alio enim hic stilo utitur in Philippicis orationibus, quas senex, alio in Verrinis actionibus, quas juvenis calente ingenio effudit: alio dicendi genere Milonem defendit, quam quo Marci Marcelli causam

 egit:

egit: non minus aliud ab his diverſum genus ſtili adhibuit, quando Philoſophorum more de Officiis diſſeruit: & multo quidem ornatius informat Oratorem ſuum, quam præcipit de inventione rhetorica. Nihilominus ita de his rebus diverſiſſimis tractat, ut facile auctorem in omnibus agnoſcas, & ubique Ciceronem invenias. Nimirum quod in humani generis propagatione plerumque fit, ut in liberis parentum habitus frontis, oris, oculorum, totiusque corporis conformatione repræſentetur, idem contingere ſolet in auctorum libris ſcriptisque, quorum veluti parentes ſunt, ut totius ingenii ac mentis ipſorum ſimulacrum mira ſtili conſenſione reluceat. Profecto hac ratione illi, qui ſcriptorum notitia quadam pollent, plus quam ſuperficiaria, inter profanos Ciceronem, Cæſarem, Livium, Quinctilianum, Cornelium Nepotem, inter ſacros Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, Cyprianum, Lactantium, Leonem M. etſi nomina illorum tantiſper ſubducas, unum tamen ab altero quibusdam ſtili inſignibus & notis privatis diſtinguere norunt.

XX.

XX.

Sed ut ad ſtili rationem propius accedamus, diverſas inter nationes (de illis ſolum loquor, qui græce ac latine cultius loquebantur, & ſcribebant) ſemper diverſus erat. Quis enim tot gentium ſermonem in unam formam atque figuram veluti in piſtrinum cogere velit? Alio utebantur ſtilo ſeu dicendi genere Lacones, alio Attici, Aſiatici ac Rhodii alio, quæ omnes gentes græce loquebantur, & ſcripſerunt, ſed mira varietate. Et ab his Græciæ incolis, ſicut alia bonarum artium monumenta, ita & ſtili diverſitas a Romanis in Latium translata fuit. Deſcribere juvat ac notare ſingulorum characteres. Stilus *Laconicus* juſto brevior & abruptus eſt, ita ut plura intelligere nos jubeat, quam legere. Erat enim gens Laconum natio præ cæteris ambitioſa & ſuſpicax: atque ita breve ac abruptum dicendi genus illi præplacebat, quali uſa fertur, quando Macedonum Regi Philippo, qui prolixa & verboſa epiſtola bellum eidem inferendum eſt minitatus, aliud non reſpondit, quam Διονύσιος ἐν κορίνθῳ, ſeu *Dionyſius Corinthi*, quibus verbis ſignificare voluit: caveret ſibi Philippus, ne eadem ſors illi obtingeret, quæ

Dionysio, qui Siculis olim metuendum se præbuisset, nunc vero Corinthi vitam degeret ignobilem, tantaque pressam paupertate, ut Ludimagistri munere fungi cogeretur. Hic stilus Laconicus vix laudem meretur, nec sine ambitionis nota adhiberi potest, nisi inter amicos epistolis ultro citroque missis, cujusmodi sunt Ciceronis ad Atticum, ad familiares Plinii & Lipsii. Ecce! exemplar stili Laconici in Epistola vigesima secunda Ciceronis ad Atticum. *Pedem in Italia video nullum esse, qui non in istius* (Julii Cæsaris) *potestate sit. De Pompejo scio nihil: eumque nisi in navem se contulerit, exceptum iri puto. O celeritatem incredibilem! hujus autem nostri* (nempe Pompeji tarditatem). *Sed non possum sine dolore accusare eum, de quo angor & crucior. Tu cædem sine causa times: non quo minus quidquam Cæsari expediat ad diuturnitatem victoriæ & dominationis* (nihil enim violentum diuturnum esse potest). *Sed video, quorum arbitrio sit acturus.* (Scilicet Antonii, Pansæ, Hircii, Cælii, Curionis & Dolobellæ, hominum improborum) *recte sit. Censeo cedendum de oppidis istis. Egeo consilii. Quod optimum videbitur, facies. Cum Philotino loquere: atque adeo Terentiam habebis Idibus.*

Ego

Ego quid agam? qua aut terra aut mari perſequar eum, (Pompejum) *qui ubi ſit neſcio? & ſi terra quidem, qui poſſum? mari, quo? tradam igitur iſti me?* (nempe Cæſari) *fac poſſe tuto. Multi enim hortantur. Unum etiam honeſte? nullo modo. Quid?* (igitur agendum?) *a te petam conſilium, ut ſoleo? explicari res non poteſt; ſi quid in mentem venit, velim ſcribas, & ipſe quid ſis acturus.*

Aliud ſermonis genus eſt, quod vocant *Atticum*, qui multis paraſanguis ſuperat Laconicum. Attici enim inter omnes Græcos ornatiſſime loquebantur, uti contra peſſime Siculi. Unde Plautus de quodam ait: *Non atticiſſat, ſed ſicilliſſat.* Et Ciceroni (b) idem eſt, ſcito ſermone, & attico loqui. Stili hujus dotes ſunt brevitas, ornatus ſine affectatione, acumen, elegantia. Exemplum eſſe poterit locus ille Plinii, quo bonarum artium & literarum ſtudium commendat (c): *Reliqua rerum tuarum poſt ſe alium atque alium Dominum ſortientur: hoc nunquam tuum eſſe deſinet, ſi ſemel cœperit.* Et (d) *O rectam ſinceramque vitam! O dulce otium honeſtumque, ac plene omni negotio pulchrius!*

(b) *De nat. Deor.* (c) *Epiſt. I.* 3.
(d) *Epiſt. I.* 9.

ebrius! o litus rerum secretumque μυσεῖον! quam multa dictatis? Proinde tu quoque strepitum istum, inanemque discursum, & multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque, teque studiis vel otio trade. Satius enim est, ut Attilius noster eruditissime simul ac facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere. Eodem seu attico stilo usus est in historia Sallustius, in epistolis frequenter Cicero, nonnunquam etiam Seneca.

Huic opponitur stilus *Asiaticus*, qui breves quasdam sententias multis verborum ambagibus exprimit, dum contra ille multas ideas mente conceptas arctis verborum limitibus circumscribit: verbo Atticus paucis multa, Asiaticus multis pauca dicit, unde etiam præter copiam & ubertatem vix quidquam admirationis dignum relinquit. Hinc est, quod conqueratur Petronius (e) *nuper*, inquiens, *ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit*. Quippe initio Athenæ solæ fuerunt eloquentiæ palæstra ubi vero in Asiam propagatum hoc studium fuit, redundare cœpit ac in deliciis haberi uberrimum & undique diffluens dicendi genus, quod ipsum postea in Græciam reversum Athenas ipsas inquinavit. Non desunt,

(e) *Satyr. c. 2.*

desunt, qui exempli loco adferunt, simulque carpunt illam Ciceronis periodum, (recte an perperam, dixisse nolim) qua pro Milone usus est: *Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum a natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus, ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda.* Hæc enim omnia tanto verborum ambitu prolata in unam recidunt sententiam brevissimam, scilicet, jure naturæ licitum esse, defendere se contra quemcunque, qui injuste nos aggreditur.

Denique *Rhodius* se se offert stilus, pressior Asiatico, & Attico nonnihil spatiosior, quique mediocritatem verba inter & animi sensa observat. Hunc Æschines docuit Rhodios, ad quos exul delatus Rhetoricæ scholam primus ibi constituit, quæ postmodum diutissime floruit. Eundem Cicero adhibuit satis frequenter. Exemplum esto pro Lege Manilia: *Quo minus*, ait, *incerta est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per Deos immortales licet, frui debet hominis* (Pompeji) *vita atque virtute.* Item:

Neque enim poteſt is exercitum continere Imperator, qui ſe ipſum non continet; neque ſeverus eſſe in judicando, qui alios in in ſe ſe ſeveros eſſe judices non vult. Neque ſolum adhibuit Cicero, verum etiam probavit his verbis (f): *Rhodii Oratores Aſiaticis ſaniores, & ſimiliores Atticis.* Talis plerumque eſt ſtilus quoque Cornelii Nepotis, Julii Cæſaris, & Titi Livii, quorum lectio quam utilis ſit juventuti, bene moratæ latinitatis ſcholæ omnes experiuntur.

Quapropter quum nec Laconicus nec Aſiaticus ſtilus, uti hactenus vidimus, multum laudis habeat, his præferendus, & in ipſo Latii veſtibulo ætati teneræ inſtillandus erit ſtilus Atticus & Rhodius. Fateri nihilominus oportet, ingeniorum hac in re rationem diligenter habendam eſſe, ne quidquam invita Minerva tentent, aut mancipare ſe uni cogantur. Eſt enim diverſa ingeniorum, uti animorum indoles. Nonnulla ad Plinii preſſiorem, quædam ad Cornelii Nepotis aut Cæſaris concinnum & elegantem ſtilum; alia demum ad Ciceronis amplam eloquentiam velut naturæ ductu feruntur. Hæc omnia velle ad unam dicendi formam & habitum redigere, aliud non eſt, quam

(f) *In Bruto c.* 13.

quam velle naturæ limites ponere, quorum impatiens eſt. Quo autem ingenia collineent, æſtimare licet ac deprehendere ex ipſa Auctorum lectione. Quippe legentibus nobis is ſtilus quam maxime probare ſe ſolet, ac orexin excitare, qui genio noſtro plurimum convenit.

XXI.

Hactenus de diverſo diverſarum nationum, præ cæteris ſeu Græcæ ſeu Latinæ linguæ ſtudioſarum ſtilo, quo vel loquendo vel ſcribendo uſi ſunt, diſſeruimus. Nunc aliam ejusdem diſtributionem ante oculos ponere juvat. Triplex enim dicendi genus Veteres ipſi diſtinxerunt, etiamnum hodie receptum, ſcilicet *Tenue*, *Mediocre*, ac *Magnificum*, ita Auſonius (g):

Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Et tenui filo.

Ita etiam Tullius (h) de tribus latini ſermonis generibus mentionem facit: & hoc ipſa etiam rerum natura demonſtrat, quæ triplicem diſſerendi materiem nobis offert: vel enim ſunt res, quibus ſtilum indulgere neceſſe eſt, ſublimes, vel tenues, vel

(g) *In Gripho.* (h) *Ad Brutum l.* 1.

vel mediocres. Itaque ut ab infimo initium ducam, Tenuis ſtilus, quem alii humile ac gracile dicendi genus adpellant, ac fundamentum reliquorum, quoniam in ſola elegantia & ſermonis proprietate poſitus eſſe videtur, eſt concinnus ſed minime ornatus. In hoc ſane omnium judicio excelluit Julius Cæſar, qui Commentarios Gallici civilisque belli tanto nitore tantaque venuſtate ſermonis latini conſcripſit, ut majore quidem non potuiſſe videatur Ciceroni, qui eorum meminit his verbis (i): *Atque etiam Commentarios quosdam ſcripſit rerum ſuarum, valde quidem inquam probandos. Nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis tanquam veſte detracto.* Præter Julii Cæſaris Commentarios epiſtolæ pleræque Ciceronis ad Atticum, & ſeptimus epiſtolarum liber ad Trebatium in tenui orationis figura, humilique ſtilo verſantur: tales etiam, ut de Poetis quoque aliquid commemorem, ſunt Virgilii Eclogæ, & comœdiæ omnes Terentianæ ac Plautinæ tenui filo contextæ. Quænam autem hujus dicendi generis dotes ſint, ex ipſo Tullio intelligere licet: *Tenuis Orator,* inquit, modo ſit elegans, in faciendis *verbis non erit audax, ſed in transferendis*

(i) *In Bruto c. 75.*

rendis verecundus & parcus, in priſcis reliquisque cum verborum tum ſententiarum ornamentis demiſſior, translatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſime ſermo utitur non modo Urbanorum, ſed etiam Ruſticorum. Quodſi vero latinitatis proprietas & concinna dictio deſit, ſtilus hic tenuis in *ſiccum* atque *jejunum* degenerat.

Mediocris ſeu temperatus ſtilus eſt, qui uno orationis tenore æquabili, & placido amænoque decurſu, limpido amni ſimilis fluit: illius vero ratio tota in copia & amplificatione rerum earum, quas exponere, quasque extollere decrevit, potiſſimum conſiſtit, quemadmodum videre eſt apud Ciceronem oratione pro Archia Poeta, aliisque. Multo magis autem ſtili hujus modeſtia in illius libris de Officiis relucet, quos æquabili ſtilo temperatoque a ſe conſcriptos fuiſſe ipſus teſtatur. Idem Cicero hiſtoricum ſtilum ipſamque hiſtoriam ad temperatum hoc dicendi genus referri debere cenſet, utpote quod eloquentiæ flores, leporem, ſuavitatem, aliaque ornamenta larga manu ſuppeditat. Enimvero ad Atticum ſcribens hiſtoriam de rebus in Conſulatu ſuo geſtis græce ſe texuiſſe fatetur, in quam *Iſocratis myrothecia & diſcipulorum Ariſtotelis arculas*

las se profudisse gloriatur. Huic mediocri stilo opponitur *inconstans* & *inæqualis*, ubi puris lutosa, concinnis dissoluta, & incompta ornatis miscentur: atque initio magna promittuntur, sub finem parum respondente promissis exitu, quod pridem observavit Horatius canens:

Amphora cœpit
Institui, currente rota cur urceus exit?

Tertius est stilus magnificus, seu sublimis ac grandiloquus. Vulgi homines, quidquid est sententiarum varietate conspicuum, verborum floribus exornatum, & figurarum coloribus pictum, atque ad numeros compositum, id denique genus dicendi maximum esse ac sublime judicant; sed falluntur summopere. Novimus Isocratem sermonem suum multis illinivisse pigmentis, omnesque eloquentiæ delicias in eo ornando prodegisse. Quis vero est, qui Isocratis stilum dictioni Periclis (uterque Græcus erat) præhabere ausit, cujus orationem fulgurasse ac tonuisse, totamque commovisse civitatem Aristophanes prodidit? Recte Tullius hoc sublime dicendi genus descripsit, quod sit grandiloquum, amplum, vehemens, ornatum, varium, copiosum, grave, acre, ardens, & ad convertendos præterea animos

mos inſtructum & paratum. Hoc certe ſtilo idem Tullius Marcum Antonium confixit, Catilinam e Senatu & Urbe Roma ejecit, Clodium terruit, Piſonem profligavit. Jam vero ſtilus iſte qui non ſolum latinitatem concinnam & ornatam poſcit, ſed ſublimem quoque ac fulgurantem dictionem, duobus potiſſimum paratur, verbis ſcilicet & figuris: verbis, quæ dignitate ac amplitudine ſplendeſcunt, ut ſunt nomina Deorum, Imperatorum, Regum, civitatum, cœleſtium corporum, marium &c. ita Cicero in Orat. pro Cornelio Balbo, quam quum diceret, circumfuſam multitudinem jam non potuiſſe ſibi temperare a conclamando teſtatur Fabius Quinctilianus: *O nomen noſtri Imperii, O populi Romani excellens dignitas, O Cneii Pompeii ſic longe lateque diffuſa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis Imperii finibus terminetur: O nationes, urbes, populi, Reges, Tetrarchæ, tyranni, teſtes Cneii Pompeii non ſolum virtutis in bello, ſed religionis in pace. Vos denique mutæ regiones, & ſola terrarum ultimarum! Vos Maria, portus, inſulæ, litora! quæ enim eſt ora, quæ ſedes, qui locus, in quibus non extent hujus cum fortitudinis tum vero humanitatis, tum animi, tum conſilii impreſſa veſtigia?*

Exem-

Exemplum aliud stili sublimis in genere Poetico suppeditat Virgilius (k):

Principio cœlum & terras, camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra,
Spiritus intus agit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Igneus est ollis vigor, & cælestis origo.

Figuris vero ad affectus ciendos idoneis stilus iste ad sublimiorem adhuc gradum evehitur, cujusmodi sunt interrogationis, conglobationis, gradationis, exclamationis, ironiæ, apostrophes, descriptionis patheticæ, prosopopæiæ &c. Ita Cicero Tuberonem exagitat: *Quid enim Tubero tuus ille districtus in acie pharsalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? quis sensus erat armorum tuorum? quæ tua mens, oculi, ardor animi? quid cupiebas? nimis urgeo, commoveri*

(k) *Lib. 6.*

veri videtur Adoleſcens. Et contra Catilinam producit patriam expoſtulantem: *Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodam modo tacita loquitur: Nullum jam tot annos facinus exſtitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te. Tibi uni multorum virorum neces, tibi vexatio direptioque ſociorum impunita fuit &c.* Quodſi jam de rebus exilibus grandi & phalerato ſermonis habitu diſſeratur, ſi ineptis metaphoris, & acuminibus parum argutis, vel epithetis abſurdis utamur, oppoſitus ſublimi ſtilus, quem *frigidum* & *inſulſum* adpellant, naſcetur. Verum de his tribus dicendi generibus plura docebunt libri ſequentes de Poeſi & Rhetorica. Hæc ſufficere poſſunt pro linguæ latinæ tyronibus, ut primis rectisque de ſtili diverſitate bonitate, ac vitio ideis imbuantur. Nunc de ſubſidiis cultioris ſtili agendum.

§. II.

Subſidia Stili.

XXII.

Primum eſt, atque ad jus civitatis in Latio acquirendum facile princeps Auctorum lectio: Solus enim uſus loquendi haud quaquam ſufficit. Novimus enim

ipſo latinæ linguæ uſu, quem Romani in civitates ac provincias armis victricibus Imperio ſuo adjectas invexere, latinam linguam (quum nationes iſtæ eam loqui coactæ ſine magiſterio ſatis aſſequi non poterant) brevi tempore vitiatam, & ex ea poſtmodum a barbaris ſeculo V. Romanum Imperium invadentibus omnino corrupta Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, & Luſitanicam natam fuiſſe, ita ut caſta puraque ægre jam in ipſo Latii gremio ſuſtentare ſe poſſe videatur. Et qui fieri poteſt, ut quis ſincera latinitate in loquendo utatur, ſi linguæ hujus indolem, dotes, & vitia ignoret, id quod nonniſi Auctorum ſedula lectione conſequi poterit? Ut autem lectio iſta cum fructu & utilitate ſuſcipiatur, duo magni momenti obſervanda veniunt: primum eſt, ut ordinis ratio habeatur, alterum ut quam aptiſſimæ animadverſiones fiant ad ea, quæ leguntur. Quod ad ordinem legendi Auctores adtinet, per gradus & claſſes ire oportet, quarum quatuor commode ſtatui poſſe videntur: Primo ſcilicet, ad integritatem & proprietatem vocum latinarum comparandam ſervient plurimum Cornelii Nepotis vitæ Illuſtrium Virorum, ſelectæ Tullii epiſtolæ Familiares, Jacobi Pontani S. J. Progymnasmata.

ta. Secundo ut ad latinitatis elegantiam & concinnitatem via pateat, proderit legere Julium Cæſarem, reliquas Ciceronis epiſtolas, Minucium Felicem, Chriſtianum Scriptorem, & Bidermanni S. J. Acroamata. Tertio ut ſtili diverſitas cognoſcatur, obvia quædam e Cicerone, Livio, Suetonio, Plinio, Tacito, Curtio, Seneca, licebit lectitare. Quarto demum loco, qui ad copiam rerum, ac plenam Latii notitiam eruditionemque progredi deſiderat, evolvant Catonem, Varronem, Columellam ſcriptores rei ruſticæ, Vitruvium Architecturæ, Julium Cæſarem & Curtium, Famianum Stradam S. J. artis bellicæ; Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Florum, Plinium, Maffeium, & Turſelinum ac Brietium S. J. de rebus hiſtoricis: de Romanis Livium, Tacitum, Suetonium, Lipſium &c. quemadmodum alio in loco monui. In horum ſocietatem Auctorum ſi adſciscantur notæ præſtantioris Poetæ, qui latini ſermonis floribus, figurarum deliciis, & acutis ſententiis abundare ſolent, ac mirum quantum exhilarare ingenium, uti Martialis, Virgilius, Ovidius, Horatius, Lucanus, Sarbievius & Balde Soc. Jeſu nihil erit, quod ad ſupremum latinitatis gradum conſcendendum deſiderari poterit.

terit. Quantum vero ad animadversiones spectat, ubi sensus Auctoris probe cognitus est, oportet primum ad voces & phrases præ cæteris nitidiores, earumque inter se ordinem ac compositionem attendere: tum dicta ingeniosa, & quæ occurrunt acumina inspersa advertere licebit: porro rerum quoque ratio habenda est, veluti rituum antiquorum, apophtegmatum, similitudinum, & doctrinæ morum, quæ non raro insignis etiam apud ethnicos scriptores reperitur. Demum hæc omnia latinitatis cimelia, ut memoriæ consulatur, neve illa tam prompte quam ad mentem pervenerunt, ea rursus excidant, in adversaria calamo erunt reponenda.

XXIII.

A lectione ad imitationem progrediamur, utpote alterum cultioris stili subsidium. Hæc aliud non est, uti Bembus ait, quam alienæ dictionis similitudinem transferre in scripta nostra, & quasi eadem uti temperatione scribendi, qua is est usus, quem imitandum nobis proposuimus. Est autem alia imitatio, quæ tyronibus, alia quæ provectioris in Latio ætatis hominibus convenit. Prima Auctoris verba & phrases quasdam selectas colligit,

git, ut illis ſuum, de quo ſcribere conſtituit, argumentum veſtiat & exornet. Quod quidem tolerandum in juvenibus, atque etiam laudandum, dummodo in hoc infimo gradu non diu hæreant, ſed ad altiorem ſenſim enitantur. Profecto Quinctilianus latinitatis Magiſter ſummus non ſolum non improbat, ſed etiam ſuadet hoc imitationis genus diſcipulis ſuis, dum ait (l): *Sumamus ſententiam* (Auctoris alicujus) *eamque verſemus quam numeroſiſſime, velut eadem cera aliæ atque aliæ formæ duci ſolent.* Altera eſt, quæ ipſum Auctoris ingenium veſtigat, & ſub verborum cortice latentem nucleum extrahit, atque ejusdem ſermonis habitum ſeu ſtili ac methodi ſimilitudinem cum judicio ac libertate exprimit. De hac rurſum præclare loquitur idem Quinctilianus (m): „ Imitatio autem non fit tantum verbis: illuc „ intendenda mens, quantum fuerit illis „ viris decoris in rebus atque perſonis, „ quod conſilium, quæ diſpoſitio, quam „ omnia etiam, quæ delectationi videantur data, ad victoriam ſpectent. Quid „ agatur prooemio, quæ ratio & quam „ varia narrandi, quæ vis probandi ac refellendi, quanta in affectibus omnis ge„ neris

(l) *Inſtit. Orat. l.* 10. *c.* 5. (m) *Ibid. c.* 2.

„ neris movendis ſcientia, quantaque „ laus ipſa popularis utilitatis gratia aſ- „ ſumta: quæ tum eſt pulcherrima, cum „ ſequitur, non cum arceſſitur. Hæc ſi „ præviderimus, tum vero imitabimur. „ Præterea duo ſunt, quæ circa imitationem ſeu obſervanda ſeu vitanda veniunt. Primi generis eſt, ut non obvium quemque aut vulgaris ſtili, ſed quantum fieri poteſt, optimi auctorem in manibus & ante oculos habeamus, id quod omnium ſane ſcientiarum & artium candidati faciunt dicente Plinio (n): *Stultiſſimum credo ad imitandum non optima quæque proponere.* Paucis enim ſors obtingit, ipſa prototypa perfecte adſequendi, quin ab iis hinc inde deficiant: quid fiet, ſi imperfecta ſibi proponant, quæ ipſa jam nævos ſermonis velut a nativitate ſecum adferunt? Secundi generis eſt, ne affectata vel nimia ſit imitandi cura, quæ omnia quaſi veſtigia auctoris numeret, nec ullum extra illa paſſum ſibi faciendum eſſe credat: nimium triſtis hæc ſervitus eſt, nec liberalium artium ſtudioſo digna, quam acriter perſtringit Horatius:

O imitatores, ſervum pecus!

XXIV.

(n) *Epiſt. I. 5.*

XXIV.

Tertium cultioris ſtili ſubſidium eſt exercitatio, quam tantopere commendant latinitatis magiſtri. Nihil enim vel parum proderit legiſſe attente, ac diligenter excerpſiſſe ex auctoribus optimis optima quæque, niſi ad lectionem & imitationem accedat exercitatio. Cicero *ſtilus* (ipſam ſub eo exercitationem intelligens) *ſtilus*, inquit, *optimus & præſtantiſſimus eſt dicendi effector & magiſter*. Et alio in loco: „ Quemadmodum nec Medici, nec Imperatores, nec Oratores, quamvis artis „ præcepta perceperint, quidquam magna „ laude dignum ſine uſu & exercitatione „ conſequi poſſunt. „ Certe de Hortenſio ſummo illo Oratore memoriæ proditum eſt, nullum præterire diem unquam eſſe paſſum, quo ſe dicendo non exerceret. Hac autem in exercitatione per gradus eundum eſt, & ab una claſſe ad alteram aſcendendum. Et primo quidem non parum proderit incipientibus, inſignius quoddam argumentum e vernacula lingua in latinam, & verſa vice e latina in vernaculam ſcite transferre, ut hac ratione latinarum vocum idoles, bonitas, elegantia, & vis ſignificandi plenius a tyrone introſpiciantur. Sequitur variatio, quæ fit

ſententiam aliquam aliis atque aliis verbis, phraſibus, atque figuris adhibitis permutando, quæ res ad copiam verborum acquirendam, & ad dictionis concinnitatem conſequendam confert plurimum, exprimendo ſcilicet ſenſa ſua diverſis modis, hosque inter ſe comparando, quisnam altero præſtantior ſit. Tum robuſtior in ſtudio iſthoc ætas amplificando ſe ſe exerceat, vocatis in ſubſidium facilioribus quibusdam e rhetorica locis, qua re ubertas ſermonis, & amplitudo quædam rerum dicendarum acquiritur. Magis jam eruditos pergere juvat tum ad characterum expreſſionem, qui characteres aliud non ſunt, quam viva quædam imago, qua non ſolum exterior habitus rerum ac perſonarum, ſed latentes virtutes & animi affectiones notis quibusdam deſignantur ac veluti depinguntur, quæ quo magis cum natura ejus, de quo loquimur, conveniunt, eo meliores præſtantioresque ſunt: tum ad deſcriptiones, per quas res tota ſuis veſtita circumſtantiis quaſi oculis videnda ſubjicitur: tum ad etopæias ſeu imitationem ſermonis, quod fit per oratiunculas, quibus magna cum elegantia, miraque varietate uſi ſunt Livius, & Curtius. Verum ne multa ſcribendo perverſe ſcribere diſcant adoleſcentes, commentatio

tio & cogitatio seria est adhibenda, & ad limam sæpius revocanda scriptio. Nam subita & fortuita oratio nunquam tolerabilis, nedum bona esse solet, utpote similis ursæ catulo, quem informem in lucem prodire ferunt, nec nisi crebrius lambendo a matre demum effingi. Plura de stilo suppeditare poterunt, qui de illo præclare scripserunt, Ant. Possevinus & Card. Pallavicinus, ambo S. J. Alphonsus Gartias, Joan. Heineccius, Joan. Schefferus, aliique. His jam subsidiis postquam adolescentes diligentissime fuerint instructi, & in ipso stilo intra privatos scholæ parietes exercitati, tum in publicum prodire licebit, & dicere cum Poeta (o):

Sicelides Musæ paullo majora canamus.



CAPUT

(o) *Virg. 4. Eclog.*





CAPUT V.

METHODUS DOCENDI, DISCENDIQUE GRAMMATICAM.

§. I.

Critice circa Methodum docendi.

XXV.

Expositis hunc in modum præcipuis linguæ latinæ ac stili dotibus (his enim finibus totum Grammaticæ artificium circumscribitur) emensi esse institutum iter possemus videri, si non offerrent se aliqua majoris indaginis circa methodum, quam certam adhibere solemus & debemus ad juvenum animos hac Grammatices ac primæ veluti latinitatis disciplina rite informandos. Nam sine methodo discendi docendique, quemadmodum in reliquis omnibus scientiis, ita etiam in ista vagi semper ac peregrini erimus, nunquam incolæ ac cives. Quod si de cæteris verum est, de hac arte verissimum erit, quum sit totius latinitatis fundamentum, quo non bene jacto nunquam ædificium satis firmum superstruere licebit. Sine

Sine hac, de qua loquor, methodo multum temporis, & plus etiam laboris deperibit, & ubi viæ compendium facere potuiſſes, ingens facies operæ dispendium, cum damno in ſeram ætatem redundaturo. Verum circa methodum iſtam hodie, ſi unquam, mirum quantum variant ſententiæ; uno hanc, alio aliam quaſi venum eunte, quovis ſuam quam excogitavit, præ cæteris commendante. Huic diſplicet nimis frequens regularum turba, triſtisque ſervitus, ad quam ingeniorum libertas damnatur: Illi non placent moroſa nimium in ſcholis inferioribus diverticula; feſtinandum eſſe ajunt, quum ars longa, vita brevis ſit. Iſte abjectis Grammaticorum libris & cavillationibus omnem in præſtantium auctorum lectione operam poni debere, & ex ipſis ſtatim fontibus aquam hauriendam eſſe cenſet: Alius contra rei ſummam in ſola propemodum exercitatione ſcriptioneque collocat, & uſui Magiſtro cuncta tribui oportere arbitratur. Sunt etiam, hoc præſertim ævo, qui longe melius atque felicius bonas literas intra privatos parietes diſci docerique poſſe clamitant, quam publicis in ſcholis atque gymnaſiis, imitantes illam gentem ſuperſtitioſam, cui præ omnibus fanis & idolis Lares ſui, ſeu domeſtici dæ-

dæmunculi unice in amoribus erant. Ita fit, ut dum quivis in ſuo ſenſu abundat, literarum & ingeniorum cultura in partes diſtrahatur, nec ulla certa methodus firmo pede ſubſiſtat, multaque in hoc negotio tam delicato inutiliter, temere, ac ex præjudicatis opinionibus ſuſcipiantur, non ſine graviſſimo reipublicæ literariæ damno. Mihi ſi liceat hac in re aperire mentem meam, agam id absque partium ſtudio, eaque utar moderatione, ut judicium meum, quod ſentio quam tenue ſit, nulla quidem ratione præferam aliorum ſapientum judiciis, ſed neque inconſultorum hominum quorundam opinionibus, & male criticis artibus a recto tramite ac via, ut vocant, Regia me abduci permittam, nec deferam plus ideis quibusdam, quam ſolidis rationum momentis. Atque illud ante omnia ſtatuo, quod in libro primo de diſciplinis univerſim demonſtraſſe me credo, domeſticas privatasque ſcholas neutiquam publicis præhaberi oportere, harumque honorem dignitatemque totis viribus, publicaque Auctoritate ſuſtinendas eſſe. In his itaque talem linguæ latinæ docendæ methodum adhibendam eſſe fidenter aſſero, quæ apta ſit, ut omnes, qui ad ejusmodi literarum emporia ſeu gymnaſia accedunt, fructum inde

inde referant, cujusvis indoli, facultati ac modulo convenientem. Non heic res agitur de ſingularibus ingeniis (quamvis & iſta ſemper multa, in quibus ſe perficiant, & latius quam domi patentem oſtentationis campum invenient) ſed de fructu quodam generali in variæ conditionis homines, qui ſtudiis operam ibi navant, & per eos in univerſam rempublicam ſe diffundente. Non enim, ut puto, Principes & ſupremi Magiſtratus in ſuis regnis & ditionibus ſcholas publicas tantis ſumtibus erexerunt, atque dotarunt, ut ſublimia ſolum ingenia quædam, id eſt, admodum pauca, excolerentur, ſed etiam habilia, quin & mediocria, quorum longe major numerus eſſe ſolet; & quidem eum in finem, ut cuivis hominum ſorti, quæ aliqua ſaltem literatura indiget, diverſisque muneribus ſeu ſacris ſeu profanis de ſufficiente latinitatis ac eruditionis penu proſpectum ſit. Si jam in docendo feſtinanter agas, vel ubique aliquid fulgurans & ſcintillans exigas, aut cunctos æqualibus paſſibus ad perfectionis apicem contendere velis, atque ex omnibus lignis Mercurios ſculpere, ſumma quidem ingenia eminebunt, ſed paullo humiliora jacebunt, & fructum, quem alias futuris temporibus & officiis ſatis commo-

modum ferre potuissent, vix ullum aut omnino nullum consequentur. Profecto eadem mihi videtur esse ratio literarum ac viarum: sunt aliqui locorum gnari, qui per occultas sibique notas semitas longiora per valles & montes itinera circuitu quodam evitare norunt, & ad locum destinatum citius quam alii pertingunt; num iccirco vias publicas & communes tanquam inutiles amandandas esse credimus? Idem sane faciunt, qui vel novandi studio, vel exuberantis ingenii ductu novas identidem ac singulares docendæ latinitatis methodos excogitant, atque proponunt non sine plausu eorum, qui literati magis videri volunt, quam sunt; communes vero & plurium seculorum usu fructuque comprobatas speciosis quibusdam argumentis eliminare conantur. Hoc ipso, quod vivimus, ævo quæ non ubique aures fatigant querelæ, quod in muneribus rebusque publicis, in mercimoniis, in exactionibus nova cudantur systemata, non absque magno populorum, & ipsorum, in quorum commodum hæc fieri dicuntur, Principum damno: laudamus nunc antiqua tempora, quando nova sentimus esse perniciosa, in quibus prudentiam Majorum nostrorum vehementer desideramus. Cur ergo in re literaria, quæ alter veluti oculus est Rei-

publi-

publicæ (delicatum plane membrum) tantopere ad novandum sumus proclives? Cur veterum instituta tam maturo consilio introducta leviter explodimus, quæ nos deseruisse aliquando penitebit? Hæc tamen non ita intelligi velim, ac si nefas esse crederem, & grande piaculum (uti credunt nonnulli antiqui moris custodes rigidi ac nimium tenaces) vel minimum apicem in veteri receptaque semel methodo mutare, abrogare, addere, vel subtrahere: absit, scio nihil in rebus humanis, quæ tot vicissitudinibus obnoxiæ sunt, æterna lege cautum esse debere. Æs antiquum denique rubiginem contrahit, & moles firmissimæ tandem vetustatis vitio fatiscunt. Excolantur bonæ literæ magis magisque, perpoliantur, resecentur inutiles pampini, evellantur quæ succreverunt lolia, inferantur nova cimelia, legum & præceptorum excrescens multitudo circumscribatur, quæ obscura fuerunt, reddantur clariora, emendentur vitia, & egerantur sordes, quæ aliquorum negligentia veluti per rimas in sentinam sensim confluxere; sed eorum inconsultos ausus probare non possum, qui ubi primum in arte latinitatis ac stilo valere aliquid se vident, mox ad ipsa fundamenta vetera subruenda se accingunt, novas le-

ges

ges ac præcepta condunt, antiquam methodum innumeris ſcatere vitiis clamitant, rogant, obteſtantur, ut alii quoque ſociam jungant operam ad libertatem eruditionis vindicandam, utpote quæ ſub triſti quorundam didaſcalorum ſervitute longo jam tempore oppreſſa gemuiſſet. His vocibus Procerum aures implent, ut orbe antiquo non jam contenti neſcio quas fortunatas inſulas & novi orbis regna detexiſſe credantur, Columbi & Americi, ſi ſuperis placet, Nepotes.

XXVI.

Verum hæc tanti momenti eſſe mihi non videntur, ut eorum judicio ſubſcribam, qui exigui multorum in lingua latina profectus cauſſam & originem in methodi hactenus obſervatæ neſcio quod vitium quaſi ſenectutis & ignaviæ, non ſine invidia conjiciunt, dum incommoda, quæ hac in re videmus & ſentimus, ſeu aliquorum nimiæ feſtinationi, ſeu aliorum negligentiæ aut animi levitati, ſeu denique in cuſtodiendis excolendisque illis, quæ didicerunt, incuriæ potius adſcribenda forent, ut ſequenti paragrapho demonſtrabitur. Quapropter Societas Jeſu in ſibi commiſſis per orbem utrumque late patentibus ſcholis atque gymnaſiis methodum pri-

primitus summis curis constitutam tradendi literas, quas humaniores vocant, sibi retinendam esse censuit; cujus rei multa nec sane levia, ut opinor, rationum momenta potest exhibere. Imprimis quidem ea, quam hucusque tenuit, docendi methodus satis Antiquitate sua se commendat, quam & in ipsis auctoribus Classicis, primisque latinitatis parentibus post tot secula venerari solemus. Quis enim recedendum sibi existimat a Cicerone, Livio, Julio Cæsare, Terentio, Virgilio, Ovidio, Cornelio Nepote, Varrone, Vitruvio, cæterisque aureæ ætatis aut argenteæ scriptoribus, quod labentibus annis, & post tria ferme secula surrexerint recentiores quidam scriptores, Aulus Gellius, Apulejus, Palladius, Censorinus, Quintus Serenus, Julius Firmicus, Magnus Ausonius, Ammianus, Festus &c. qui ab aurea argenteave sermonis latini forma usque non parum nec obscure deflexerunt, & iccirco inter æneæ ferreæque ætatis auctores passim recensentur? Quin eo respicit isto quod vivimus seculo Literatorum non paucorum cura & labor, ut e vetustatis ruderibus summo studio numismata, inscriptiones, diplomata, ipsos adeo semi-exesos characteres colligant, nec in Eruditorum numero habeant, cu-

jus ſcripta vel libri antiquitatis aliquid non præſeferant. Cur ergo, dum gloriæ ſibi ducunt, ſcientias & artes ad priſcorum temporum mores revocare, novas identidem docendi diſcendique methodos, nova cudunt ſyſtemata, & heri natas in cerebro ideas indignante Minerva nobis obtrudunt, cum extremo veterum contemptu? Dein illa, quam Societas ſibi univerſim præſcripſit, ſtudiorum ratio non, ut alii faciunt, quaſi temere arrepta, & e ſingularium quorumdam ingeniorum ſenſis prognata fuit, ſed poſitis ante oculos & probe expenſis veterum præceptis, communi virorum ſapientiſſimorum e diverſis Europæ nationibus congregatorum conſilio atque conſenſu eſt adornata; Principum, Antiſtitum, ac Literatorum ſuffragio & auctoritate roborata, utilitateque diſcentium, nec non multorum annorum felici experimento ſatis comprobata. Orbi notum eſt, triſti illo ignorantiæ ſeculo, quo Lutheri, Calvini ac Zvvinglii hæreſis totam late Germaniam depopulata eſt, Societatis homines incredibili labore induſtriaque non ſolum fidem Catholicam, & priſtinam pietatem, verum etiam bonas artes & literas erectis ubique Gymnaſiis, ſumma Magnatum, Regum, & Imperatorum munificentia & adprobatione, velut

lut ab exilio revocasse, ita ut ipsi quoque Acatholici, infensissimi cæteroqui hostes hujus Societatis, passim liberos suos in scholis nostris erudiendos obtulerint, docendi dexteritate ac profectus ubertate invitati. Nihil heic ad ostentationem dici, & magnificentius quam verius prædicari prodit testimonium gravissimum Francisci Verulamii, Magni Angliæ Cancellarii, ut vocant, viri citra controversiam doctissimi (p): *Quæ nobilissima*, inquit, *pars disciplinæ* (nempe juventutis erudiendæ) *prisca renovata est aliquatenus postliminio in Jesuitarum collegiis, quorum cum intueor industriam solertiamque, tam in doctrina excolenda, quam in moribus informandis, illud occurrit Agesilai de Pharnabazo: Talis cum sis, utinam noster esses* (erat Verulamius Anglicæ religioni addictus). Idem alio in loco (q): *Ad pædagogiam quod attinet, brevissimum foret dictu: consule scholas Jesuitarum. Nihil est, quod in usum venit, his melius.* Non multo inferius est testimonium illud, quod Eruditissimus Lipsius præbuit, dum scripsit (r) ad Matthæum Raderum: *Ami-*

cum

(p) *Lib.* 1. *de dignit. & augment. scient.*
(q) *Lib.* 6. *c.* 4.
(r) *Cent. Miscell. epist.* 30.

cum me toti Societati vestræ esse quidni profitear? Quæ prima literis his, aliisque me imbuit: quæ salutaria in omnem vitam præcepta dedit, & præbuit. Amo corpus hoc, amo & membra &c. De Jacobo Pontano S. J. ita loquitur Allegambe (t): *Magnum certe nomen Societati vel inter hostes eruditione sua concivit, qui ejus in latinitate sermonem ita æstimant hodieque, ut publico nuper typo collectum suis Gymnasiis esse pro Tullio voluerint.*

XXVII.

Jam vero eadem nunc in scholis Jesuitarum viget docendi norma, eadem disciplina, quæ olim erat usitata, quæque tot viros sapientes doctosque Reipublicæ Sacræ ac Profanæ dedit. Non enim temporibus illis adhuc grassabatur is licentiæ morbus contagiosus, quo hodie non pauci laborant, qui ut aliquod inter Eruditos nomen sibi comparent, varios libros citatis equis percurrunt, ubique aliquid colligunt levissimo brachio: tum vero scientiarum omnium Arbitri & Aristarchi cupiunt videri, negligentes interea non raro studium id, quod gravissimis etiam reipublicæ negotiis sibi concreditis adhibere deberent. Neque tamen adeo tenaciter

(t) *Biblioth. Script. S. J.*

citer instituto veteri Societas inhæret, ut nihil novi admittat, notumque programma illud scholarum suarum foribus affigat: *Nihil innovetur.* Non ita est: admittit libenter nova illa, quæ cum manifesta utilitate conjuncta videt; quin potius in id summo cum conatu incumbit, ut methodum suam pro temporum & locorum ratione magis magisque perficiat, expoliat, novisque accessionibus ditiorem reddat. Certe Philippus Allegambe & Nathanael Sotvellus (t) ad sua usque tempora, annum scilicet MDCLXXV. ultra septuaginta e Nostris Scriptoribus produnt, qui utilissimis seu lucubrationibus seu commentationibus Grammaticas res diversis in regnis atque provinciis illustrarunt. Magis adhuc perspicue id palam facit liber Josephi Juventii, celebris Galliæ Oratoris ac Historici, *de ratione discendi & docendi*, Decreto Congregationis Generalis XIV. an. 1705. in lucem datus, in quo diligentia exactissima & probatissima latinitate discipulorum & Magistrorum cujuslibet classis officia expendit atque proponit. Non minus idem studium declarant, quæ novissime in Germania typis edita fuerunt Franc. Xav. Kropfii *Ratio & via procedendi in literis humanioribus ætati tene-*

ræ

(t) *Ibidem.*

ra tradendis, & Francisci Wagneri *compendiaria Methodus de tribus linguæ latinæ virtutibus*, ejusdemque auctoris *Phraseologia*, quibus nihil utilius ad insignem in latino sermone profectum faciendum me legisse memini. Demum non videt societas, cura communi tritaque via discedat, novosque tramites inquirat aut sectetur, quum illi, qui vel maxime in criminando cavillandoque liberales sunt, nec argumenta proferant alicujus momenti, quæ discessionem hujusmodi hoc in negotio viris prudentibus suadeant, nec meliorem & juvenum ingeniis accommodatiorem semitam ostendant, uti ex hactenus disputatis & paullo post dicendis palam esse videtur, & fiet. Potius auream illam prudentiæ regulam sibi commendatam habet, quam Nicolaus Caussinus S. J. magnum Galliæ Oraculum, & vir tum in scientiis, tum in consiliis maximus (u), omnibus præsertim Principibus tenendam proponit: *Nulla antiqua consuetudo sive ordinatio, hactenus mortalibus proficua, mutanda est in aliam novam, nisi nova* evidenter *melior sive utilior esse deprehendatur.* An non tristia ubique oculis nostris obversantur exempla regulæ hujus neglectæ? Unde tot damna regiminum & integra-

(u) *Lib. de regno Dei.*

tegrarum regionum, quæ deploramus, nisi a quibusdam novatoribus, qui spretis antiquiorum sapientissimis institutis, atque principiis, quæ *Maximas* vocamus, alia atque alia Principibus systemata obtrudunt regendi ac publici questus faciendi, quæ vel brevi non sine ignominia concidunt, vel pacem & commercium perturbant, vel ingentem malorum catenam post se trahunt. Væ bonis artibus & literis, si in earum quoque regnum hæc novandi libido aditum inveniat, aut vi facta penetret!

Eventus varios res nova semper habet (x).

XXVIII.

Si quis autem sit, qui forte non satis sibi notam tradendæ Grammaticæ methodum, quæ in societatis nostræ scholis viget, curiosius inspicere explorareque cupiat, neutiquam vereor, illam quam brevissime in conspectum dare, tot testes habiturus, quot discipulos in iisdem educatos. Distribui solet Grammatica in tres potissimum Classes, Infimam, Mediam, & Supremam. Infima est inchoata Syntaxeos cognitio, & brevis quædam in Latium

(x) *Cornelius Gallus.*

tium introductio, agens de Generibus nominum, Declinatione, Præteritis, & Supinis, facillimisque de Conſtructione præceptis. Iſta tum memoriæ mandantur a diſcipulis, & fideliter redduntur, tum a Magiſtro explanantur, & notis aliquibus aptisque exemplis illuſtrantur, tum in propoſitis thematibus ac penſis domeſticis eorum diligens obſervatio & adplicatio exigitur, quod vel maxime fit eorumdem thematum correctione. Præterea græcæ linguæ, tantopere ad eruditionem neceſſariæ, fundamenta ponuntur. Accedit explicatio aliquot epiſtolarum faciliorum Ciceronis, ac grogymnasmatum Jacobi Pontani, in quibus omnia fere, quæ in conſuetudinem uſumque communem incidunt, puro latinoque ſermone auctor hic complexus eſt: frequenter habentur exercitationes utiliſſimæ, dum unus vel plures tam vocabula rerum omnium, quæ Franciſcus Pomey collegit, quam integras conſtructiones vernacula in lingua ab aliis propoſitas e memoria latine reddunt, victoribus ad altiorem in ſchola locum promotis, aut quodam alio honoris ſigno decoratis. Utraque hac lingua etiam concertationes ex hiſtoria Sacra Veteris Teſtamenti, præſentibus ad innocentis gloriolæ ſtimulos addendos hoſpitibus inſti-
tuun-

tuuntur; ut nihil dicam de doctrina Christiana, quæ rursus in lingua utraque explanatur; aliisque literarum adjumentis, quibus solertes Magistri ad animandam parvi gregis sui industriam uti consueverunt. Ita ab una in alteram septimanam, mensem & annum labor hic docendi continuatur.

Ab his exordiis ad Mediam Classem fit transitus, quæ plenius explicat regulas syntacticas cum facilioribus appendicibus secundum normam & institutionem Emmanuelis Alvari. Major heic, quam antea, & emendatæ & ordinatæ constructionis cura habetur; flores quoque ac elegantiæ quædam latinitatis tum ex scriptione, tum ex auctorum Classicorum prælectione colliguntur; promovetur sensim linguæ latinæ usus ope progymnasmatum selectiorum Pontani, & reliqua curatius fiunt, quæ superius de exercitationibus & concertationibus, de linguæ græcæ ac sacræ doctrinæ studio dicta fuerunt. Quibus accedit historia de quatuor Monarchiis, & Romanis Imperatoribus, quorum omnium series in partes divisa non raro propriis verbis latinis in hospitum corona scite ac eleganter a discipulis exponitur.

Demum ad ſupremam Grammaticæ claſſem aſcenditur, ubi abſoluta contexendi ſermonis intelligentia traditur, & ultima velut manus imponitur diſciplinæ hujus ædificio: nec jam ſufficit emendate loqui; ad proprietatem, ac copiam verborum & ſententiarum vel maxime attenditur: ſuggeruntur variæ phraſes ac modi loquendi, ad optimorum ſcriptorum exempla conformati; urgetur conſtans latini ſermonis uſus & exercitatio. Præterea jaciuntur carminis pangendi fundamenta ex arte metrica, & ad poeſin via ſternitur, explicando ſelectas purgatasque Ovidii, Tibulli, Propertii elegias: nonnunquam faciliores etiam libri Maronis explanantur, quibus præter reliqua paullo ante commemorata quartum opuſculum de orbis terrarum Regnis & Rebuspublicis adjicitur; quintum enim de geographia & arte ſcutaria, atque ſextum de hiſtoria Eccleſiaſtica Poeſis & Rhetoricæ ſcholis adſignantur. Atque hac ratione intra trium vel quatuor annorum ambitum & lingua latina, & græca, & hiſtoria ſacra a cprofana, & doctrina Chriſtiana a tenera juventute, quantum vires illius patiuntur, ea de qua loquor methodo, in ſcholis noſtris uſitata, addiſcuntur. Quid jam in methodo tam ordinata, tam adoleſcen-

lescentum ingeniis & viribus accommodata, & commeatum ad omne genus eruditionis præbente crimini detur aut dari possit, non video, nec vident alii paullum prudentiores, paucis exceptis, quos vel urit nescio quæ invidia, vel excæcat ambitio, vel præjudicata opinio e libellis famosis hausta, vel alia obsessos tenet animi intemperies. Horum tamen conatibus, machinamentis, atque calumniis frangi constantiam suam ac patientiam non patitur Societas, quæ pridem publicæ utilitati totam se devovit. Et hæc ipsa, quam tenet in bonis literis docendis, ratio nisi vehementer fallor, talis est, qua & summa, & mediocria, & infima ingenia proficere possint, modo velint, ac decentem linguæ latinæ notitiam usumque ad reipublicæ utriusque diversa munera secum dotis loco adferre valeant. Non enim credo illud exigetur, quod forte non optandum, certe sperandum non est, ut omnes fiant Prisciani, Homeri, Cicerones, Livii. Hoc idem foret, ac velle efficere, ut in republica omnes sint divites, Nobiles, a Consiliis, Aulici, Optimates, Principes. Quanta tunc rerum perturbatio? Sed major adhuc, si quotquot literis operam dant, insignem ac sublimem in illis gradum consequerentur.

tur. Nam veriſſimum eſſe Apoſtoli Paulli (y) effatum hoc præſertim ævo experimur: *Scientia inflat.*

§. II.

Critice circa Methodum diſcendi.

XXIX.

Non minores circa methodum diſcendi difficultates occurrunt, in quam veluti meſſem licentior critice hodierna falcem ſuam mittit, ſed meliore critica, ſanioreque merito emendanda. Sunt, qui nimis diu diſtineri conqueruntur parvulos in ludis, nec niſi pulvere ſcholaſtico large oppletos inde dimitti cum non modica pretioſi temporis jactura, quod utilioribus & amœnioribus diſciplinis perdiſcendis ſubtrahitur: hebetari hac ratione puerorum ingenia, dum acui debuiſſent, optimumque ætatis florem ac ſuccum inter nugas & tricas Grammaticorum conſumi. Sed non attendunt hi boni viri, plerumque hac plurimum ætate nimia parentum feſtinatione liberos ſcholis non tam offerri, quam in eas intrudi, vix prima legendi ſcribendique peritia tinctos, & ferme ſub ipſum rationis diluculum. Si jam huic

(y) 1. *Cor.* 8.

huic in discendo festinationi suam quoque in docendo adjungat Magister, nunquam radices agent in tenero nimium solo prima & summe necessaria disciplinæ istius præstantissimæ principia, velut semina, quæ si non profunde in animum demiseris, omnis solidi fructus spes in ipsa herba præcidetur. Profecto non unius nec alterius anni labor est, ut puerorum indoles adeo vaga in omnem partem, & rerum suarum incuriosa instar mercurii figatur: ut tot rerum voces & adpellationes fideli memoriæ mandent: ut casuum, numerorum, generum, temporum, declinationum, conjugationum leges percipiant, easque diligenter custodiant, & ubi loquendum aut scribendum erit, rite pensis seu scholasticis seu domesticis adplicent: ut auctorum, qui secundum cujusvis classis conditionem legendi proponuntur, sententias intelligant, explicent, resolvant, & rationem eorum, quæ legerunt, promtam exhibere norint: ut postquam emendate loqui ac scribere didicerunt, etiam linguæ proprietatem, phrasium elegantiam, ac verborum copiam, tres illas, de quibus memini, latinitatis dotes comparent. Hæc omnia si vel deficiant, vel obiter solum percepta fuerint, qua ratione, quove fructu cruda etiamnum & immatura

inge-

ingenia ad altiores classes transmittentur, in quibus historia, carmen, aut oratio erit proprio marte conficenda? Ut nihil dicam, quantum temporis in tanto discentium numero, qualis esse solet publicis in scholis quadraginta, sexaginta, aut octoginta, veluti viritim excipiendis lectionibus, explicandis regulis, enucleandis auctorum sententiis, corrigendis poliendisque thematibus collocari oporteat; quod ni facias, nunquam de discipulorum profectu securus eris: ut inquam de his nihil dicam, sunt alia satis multa, & securis temporibus utilissima, quibus frequenter studiosa juventus in ludis etiam inferioribus occupari & ad majora præparari solet. Nam præter literarum elementa & præcepta linguæ tam latinæ quam græcæ, probe inculcantur doctrinæ Christianæ placita, explanatur honeste ac pie vivendi norma, & quasi parva morum philosophia traditur, historiæ tum sacræ tum profanæ rudimenta ponuntur, fiunt concertationes propositis præmiis ad fovendam æmulationem, quandoque etiam in theatrum prodire jubentur parvi hi Roscii, ut oris quoque, manuum ac corporis totius gestus & motus decentes induant, & progressu temporis cum decore in publico comparere queant, sive in utro-

que

que foro dicendæ agendæque sint causæ, seu ex cathedra perorare ad concionem, seu civilia gerere negótia oporteat. Interea dum hisce occupationibus saluberrimis distinentur, maturescunt ingenia, & ad altiores disciplinas tum Poeseos tum Rhetorices, tum Philosophiæ præparantur. Quis enim fructus, quæ solida doctrina erit exspectanda, si undecim aut duodecim annorum adolescens superato veluti per saltum Gymnastico stadio in severiorum scientiarum & Academicarum concertionum curriculum subito transferatur, nec ætate nec judicio bene valens, neque ingenio, neque moribus satis, ut ut decet, excultus? His probe perpensis eritne aliquis vel parum prudens & rerum peritus, qui diu nimium in scholis minoribus pusillum gregem detineri, & observatam hactenus discendi methodum temporis prodigam esse jure conqueratur? Immo meliori jure jam olim conquestus est Quinctilianus (z) de præcipiti & rapida pueros in literis informandi ratione, quæ sæpe nequiter blanditur parentibus, aliquando ipsis etiam Magistris: *Quod etiam*, ait, *supervacaneum foret, nisi ab ambitiosa festinatione plerique a posterioribus inciperent, & dum ostentare discipulos*

(z) *Lib.* 1. *cap.* 7.

pulos circa speciosiora malunt, compendio morarentur.

XXX.

Sed alia pulsat aures querela, nescio an æquior priore. Vitio vertitur farrago & strues regularum, appendicum, & scholiorum, quibus vivida ingenia tot annos impallescere coguntur inter perpetua jurgia & cavillationes Grammaticorum, qui artem loquendi latine docent, quam probare non possunt ipsi, nec bene callent: totum ajunt latinitatis artificium & laudem ab his eo deduci, ut prodeat oratio solœcismis & barbarismis expers, parum de nitore splendoreque solicita: & quod pejus est, tot annorum labore fatigatos adolescentes nihilominus post continuam rerum latinarum tractationem latine loqui non posse, quum tamen domesticam linguam minori cura & levioribus impensis a nutricibus atque parentibus celerius feliciusque condiscant. Unde nonnemo fuit, qui non ita pridem satis prolixa, nec inerudita cæteroqui oratione conatus est persuadere, id quod dudum sibimet ipsi persuaserat, *Grammaticorum libros, præcepta, & leges una cum crepundiis abjiciendas, linguamque latinam e sola classicorum auctorum lectione cum temporis compen-*

pendio esse comparandam. Equidem lubens fateor, copiam regularum, exceptionum & appendicum, quarum nulla vel modica utilitas est, vitandam esse quemadmodum in aliis, ita & in hac, de qua loquimur, Grammatices arte; nec Grammaticorum veterum tricas omnes longa serie puerorum oculis & auribus adponi debere, tum ne istæ fastidium creent, tum ne illi multitudine præceptorum obruantur. At, quid prohibet, ex præstantibus disciplinæ hujus criticis, quæ isti prolixa disputatione, mutuaque altercatione sunt persecuti, in synopsin redigere, versiculis memoriæ juvandæ gratia complecti, brevibus exemplis illustrare, & cum delectu quodam in classes distribuere, uti præclaram hac in re operam præstitit Emmanuel Alvarus Soc. Jesu orbi literato notissimus, cujus codex præceptorum longissimo jam tempore in præcipuis Europæ Catholicæ gymnasiis veluti civitate donatus fuit, & in omnium manibus versatur, nec ulli hucusque displicuit, si eos excipias, quibus hac ætate nihil placet, nisi quod novum, nisi quod a se recens est excogitatum. Sint multæ leges & scholia: Quid tum? Necessaria hæc sunt tyronibus ad emendatam castamque dictio-

nem ac ſcriptionem, ſine qua, ut ut adſint cætera ſermonis ornamenta, nunquam ad altiora in Latio ſubſellia eluctari, nec honorifice inter linguæ latinæ proceres comparere licebit. Sint moleſtiæ quædam adoleſcentibus in diſcendo devorandæ, quid tum? Quam moleſta res eſt, diſcere artem muſicam & cantum (idem eſto de aliis artibus judicium) quot regulæ, quot *notæ* ac *pauſæ* ut vocant, Muſicæ? Quanta vocum & ſonorum variatio? Quoties idem cantus ad Magiſtri arbitrium a diſcipulo repeti debet? Num propter moleſtiam hanc quantamcunque ceſſatur? Vel an ſolo aurium judicio, auditioneque excellentium Muſicorum res tota perficitur, & ſuaviſſima hæc ars addiſcitur? Profecto ipſius naturæ vox eſt: *Omne initium grave.* Dicere auſim, ii ipſi, qui nunc ore ac calamo paſſim & impune criminantur receptam methodum, ſi quid in arte loquendi ſcribendive valent, potiſſimam partem debere inſtitutioni primæ, quamvis moleſtæ, quamvis moroſæ; nec unquam in latinitatis regno heroes forent, aut haberi ſe crederent, niſi probe prius in ludis inferioribus, & his ipſis regularum ac præceptorum circuitionibus fuiſſent exercitati.

tati. Cur ergo nunc crimini dant, quod grato recolere animo deberent? Cur sibi solis sapiunt, qui cum tot aliis sapere docti sunt? Sed juvat eruditionis fumum unde unde demum captare, ac magni nominis umbram sequi. In hujus generis hominibus ego judicium vehementer desidero, quo discernant inter ea, quæ adolescentibus, & quæ natu majoribus ac emancipatis conveniunt: Illos arctis constringi legibus ac frenis oportet, ne extra orbitam saltent: his vero libertas quædam est relinquenda, qua tamen non tam facile abutentur, si prius recta præceptorum semita incedere didicerunt. Quippe id continget ipsis, quod experto citharædo, qui, dum parum jam ad regulas attentus, magis de artis elegantia & symphoniaco concentu, quo auribus blandiatur, solicitus est, nihilominus longa edoctus assuetudine ne latum unguem a primis illis, quibus puer adhuc imbutus fuit, regulis aberrare solet.

XXXI.

Illud autem non satis intelligo, qua ratione lingua latina e sola scriptorum classicorum lectione sit comparanda. Equidem fateri oportet, alterum veluti

oculum esse latinitatis perdiscendæ lectionem veterum auctorum, monente Claudiano (a):

> *Interea Musis animus dum melior instat,*
> *Et quæ mox imitere, leges, nec desinat unquam*
> *Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.*
> *Antiquos evolve duces, assuesce futuræ*
> *Militiæ, latium retro te confer in ævum.*

Verum nescio, an hæc satis conveniant pueris ac linguæ latinæ tyrunculis. Nihil dicam, quam parum apta sit tenera ætas ad rectam illorum intelligentiam, qui ut plurimum animi sui sensa non recentibus hisce, sed jam maturis ingeniis exposuerunt: illud quæro, quis fructus sit percipiendus lectitando auctores istos, si nescias, quid primum, quid deinde, quid postea, quid denique observatione, meditatione, notatione, imitationeque dignum occurrat? Nescies autem, si non prius ex regulis atque præceptis firmam aliquam totius artis & œconomiæ ideam

(a) *De quarto Honorii Aug. consulatu.*

ideam hauferis. Nam plerumque in fcriptoribus artificium latet, quod ut eruatur detegaturque, ad ipfius artis leges & canones erit expendendum. Non enim credo, præftantes ejusmodi viros veluti temere ac fine certa norma fibimet ipfis propofita in fcribendi munus involaffe. Verum quidem eft, latinum fermonem non ex Grammatica, fed Grammaticam ex latino fermone (id eft loquendi confuetudine ufuve) natam esfe primis illis beatisque temporibus, quibus ipfa confuetudo fub hominum erat poteftate ac imperio pofita; fed nunc, quando ea in legem tranfiit, & fermo, ut fit fincere latinus, veterum ufui ac confuetudini conformandus eft, oportuit regulas præfcribere, quibus vaga oratio intra limites contineretur, & per quas ad hanc ipfam perveniretur conformationem. His prius rite perceptis ac memoriæ mandatis fructum confequi licet uberrimum ex auctorum infignium lectione, quafi oculis intuendo, quam elegans, nitida & fucci plena prodeat oratio, fi fedula obfervatio acceflerit legum harum, quas ipfe veterum ufus & loquendi ratio progenuit. Aut dic Sodes, ad quid opus erat magna mercede propofita conducere Grammaticos bene

multos ad juventutem erudiendam Romæ (b), ea in urbe, quæ parens fuit principum latinitatis, eodemque tempore, quo ſummorum Oratorum, Poetarum, & Hiſtoricorum ab ore calamoque viva excipi poterant oracula ſermonis iſtius? & quotidie intueri licuit ipſa hujus artis prototypa? Quis non ſuccenſeat illi, qui forte pingendi artificium non ex regulis atque præceptis, quas in arte Magiſtri tradiderunt, ſed ex frequenti ac diligenti nobilium picturarum aſpectu hauriendum eſſe totis viribus contenderet? Stet tyro ante Apellis, Zeuxis, aut Parrhaſii tabulas integro die vel anno, easque a capite ad calcem perluſtret; ſi non antea in miscendis coloribus, ſuoque loco reponendis, in partibus decente cum ſymmetria, ordine ac menſura delineandis, umbræ ac lucis recta diſpenſatione, totiusque naturæ viva imitatione regularum ope ſedulo informatus exercitatusque fuerit, non ſolum nihil laude admirationeque dignum in arte hac efficiet, ſed nec ipſum pingendi artificium ulla ratione adſequi poterit, idemque rudis

(b) *Vide libri hujus C. I. §. II. ſub initium.*

rudis tyrunculus redibit, qualis accessit. Porro quid longo tardoque per Auctores circuitu latine loquendi artem emere volumus, quam possumus compendio præceptorum comparare, quæ viri maximi ac doctissimi e scriptoribus optimis magna industria judicioque collegerunt, quæque sermonis ornamenta isti singillatim exhibent, illi generatim complexi sunt? Audiri meretur hic loci Ludovicus Vives, in omni disciplinarum genere perquam eruditus (c), qui postquam gravissime invehitur in eos Grammaticos, qui totum linguæ latinæ artificium ad miserum, ut ille loquitur, formularum præscriptum redegerunt, non minus graviter perstringit illos, qui neglectis canonibus græcum latinumque sermonem ex Auctorum lectione petendum esse contendebant: „ Quorum tandem
„ usu, ait, discemus linguas has? Ex
„ auctoribus inquiunt: quum ergo non
„ succurret animo, quemadmodum apud
„ illos legerimus, hærendum erit, at-
„ que etiam obmutescendum, aut so-
„ lœcismis fœdanda oratio, quod iis vi-
„ demus accidere, qui formulas in to-
„ tum respuunt, ut modo Cicerones
„ sint,

(c) *Lib. 2. de corrupt. art.*

„ ſint, modo Solœciſtæ. Quid quod iſti
„ etiam normas quasdam ex uſu colli-
„ gunt, queis regantur in loquendo.
„ Atqui hæc eſt ars. An non præſtat
„ collecta a maximis & doctiſſimis viris
„ accipere labore exiguo, quam tanto
„ & tam infelici ipſum ſibi parare? Et
„ quæ tu ſigillatim conſectaris, habere
„ generatim annotata magna cura & ju-
„ dicio? Profecto mediocris artis co-
„ gnitio & pueros ad cognitionem lin-
„ guæ manu ducit, & provectis ſæpe-
„ numero adjumento eſt, quum a me-
„ moria nihil ſuppeditatur lectum, quod
„ ſit ei, quod eloqui conatur, ſimile.
„ Quid quod nec analogiæ normas ſin-
„ gulorum verborum & compoſitionis
„ negligebant, etiam eo tempore, quum
„ a populo peti poterat uſus certiſſimus
„ Magiſter ſermonis, ut Quinctilianus
„ tempore etiam Tullii, & uſus prave
„ loquentium plerumque analogia refel-
„ lebatur. In ſcriptoribus quoque non-
„ nulla depravata corriguntur ex artis
„ formulis & canonibus. „ Hactenus
Vives, cui aliud non minus grave teſti-
monium accedit (nolo enim meis dun-
taxat ideis temere morem gerere, uti
ſolent alii) ex præfatione ad Thomam
Linacrum Britannum, inſignem Gram-
ma-

maticum (d): „ Diu igitur in hoc ſtu-
„ dio detinendi ſunt adoleſcentes, & di-
„ ligenter aſſuefaciendi, ut & regulas
„ reddere poſſint, & habeant in prom-
„ tu exempla Auctorum, ſi quid extra
„ analogiam dicitur. Ac peſſime de
„ pueris merentur præceptores, qui aut
„ regulas nullas tradunt, aut certe ſta-
„ tim abjiciunt, & magnifice promit-
„ tunt fore, ut uſu loquendi diſcantur
„ conſtructiones. Nam illi, qui non no-
„ runt regulam, etiamſi legunt exempla
„ in Auctoribus linguæ, tamen loqui
„ non ſatis audent, quia non habent cer-
„ tam rationem, ad quam dirigant com-
„ poſitionem verborum. . . . . Quare
„ publicæ debebant in tales præceptores
„ pœnæ conſtitui, qui præcepta faſti-
„ diunt. Omnino enim danda eſt ope-
„ ra, ut tamdiu in ipſa arte detinean-
„ tur adoleſcentes, donec perfecti Gram-
„ matici evaſerint. „

XXXII.

Demum alia non levis in ſpeciem cri-
minatio contra methodum diſcendi eſt
diluenda. Sunt enim nonnulli qui om-
nium

(d) *De emendata ſtructura lat. ſerm. lib. 6.*

nium ingenia metiuntur decempeda sua: hi palam conqueruntur, in ludis publicis hodie tanto multorum annorum impendio tam paucos ad latinæ linguæ nobilem quemdam usum, ne dicam perfectionem perduci, vitio nimirum tristis cujusdam methodi, qua per mille difficultatum nescio quarum anfractus circumducta ingenia hebetantur, atque inter res nauci & flocci optimos spiritus perdunt, dum nativa quadam alacritate, & generoso saltu cito in sublime ferri potuissent, & ad disciplinæ hujus apicem promoveri. Nolim quidem ego inficiari, esse quædam ingenia, quæ celerius maturescunt, & tardos ætatis passus indolis felicitate antevertunt. Num autem propter hæc, quæ rara sunt, & sane pauca, convenientem tot aliis longe pluribus, & probatissimam methodum eliminare oportebit, talemque surrogare, quæ paucissimorum genio serviat, reliquorum autem omnium utilitati adversetur? Non omnis terra tam felix est, ut fructum progignat, ac crediti sementis census afferat sine patientia, sine labore diuturno: aratro, occis, sarculo, multoque sudore opus est, donec messis colligatur. Et quamquam in Hungaria frumentum fere sine cultura crescere di-

catur, an iccirco ab aliarum quoque regionum solo idem beneficium exspectare aut exigere possumus? Sed istorum quoque, de quibus sermo est, ingeniorum singularium plerumque præcoces partus esse solent, ac similes floribus illis & fructibus, quos arbores aut germina in hyalothecis custodita etiam tempore brumali progignunt, præcipitante opus calore furni, aut solis per vitra intromissi, qui tamen post exigui temporis admirationem & breve spectaculum flaccescunt, utpote succo nativo destituti. Quippe natura sensim & longiore temporis cursu ad maturitatem ac perfectionem operis sui procedit, qui si turbetur, nihil unquam prodire solet, quod ætatem ferat. Nec est, quod irascamur discendi methodo propter paucitatem eorum, qui masculæ latinitatis culmen attingunt. Si licet, veras fati hujus sinistri caussas facile detegam; nec enim una est sed omnino plures, quæ rectæ institutionis vim omnem sistunt, & spem conceptam eludunt. Apud aliquos inclementia soli seu sterilitas ingenii obstat: plures otium & socordia transversum agit: alios parentum & pædagogorum oscitantia perdit, non invigilantium, ut quæ puer in ludo didicit, domi rumi-

nere


net: bene multos prava ſocietas & noxia libertas altioribus in ſcholis abripit: illi demum qui culturæ patientes fuerunt, & egregio cum fructu Gymnaſio exceſſerunt, officio ſuo plene functos ſe arbitrantur, nec ulla deinceps ſeu lectionis ſeu ſcriptionis, imitationisve cura tanguntur, ſine quibus adjumentis integritas ſermonis, elegantia, verborum copia, ipſaque ut ita dicam latinitatis vita diu conſervari nequit, ſed vigor omnis brevi evaneſcit, ſicut vini ſapor, aut balſami odor, vaſis oſtio non bene clauſo. Accedit his aliud impedimentum ſane graviſſimum, quod tum eo, quo literis opera datur, tum maxime illo, quo a ſtudiis iſtis removemur, tempore aures noſtras perpetuo circumſonet lingua vernacula domeſticorum, contubernalium, famulorum, parentum ſeu domi ſeu foris, in compitis, in tabernis, in tribunalibus, aliisque quotidianis ſocialis vitæ negotiis. Nullus dubito, ſi ſoli rempublicam facerent diſciplinæ hujus alumni, interque ſe ſe linguæ commercium exercerent, fore, ut regularum notitia, & præſtantium Auctorum imitatione adjuti modico tempore ad maximos honoris gradus in Latio eluctarentur. Sed ubi nunc floret iſta homi-

num

num respublica? Fortassis in luna, si fidem habemus illis, qui in hoc quoque planeta cives & incolas esse contendunt, quamvis nemini unquam visos. Aliud sentire licet de patriis, quin & peregrinis linguis addiscendis, quæ tanto utique tempore laboreque non indigent. Nam priores seu vernaculas veluti cum lacte sugimus, & assuesimus illis, antequam quid & cur loquamur, intelligamus, tantaque dulcedine eas prosequimur, quanta ipsam, in qua nati sumus, patriam, a qua plerumque non nisi per vim abstrahimur: posteriores vero seu peregrinæ neutiquam tot tantisque difficultatibus sunt circumseptæ, nec tanta in iis casuum, temporum, modorum, declinationum, conjugationum, phrasium &c. diversitas reperitur: neque illas ut plurimum eum in finem nobis comparamus, ut in ipsis ad quemdam perfectionis gradum pertingamus, sed stimulante immani quadam cupiditate peregrinos linguæ commercio qualicunque mores, fabulas, & vitia mercandi urgemur ad eas omni cum festinatione addiscendas.

Sit igitur, ut finem faciam, Grammatices ac linguæ latinæ, de qua hucusque dis-

disserui, tum docendæ tum discendæ studium & usus ejuscemodi, qui prisci moris ac candoris religionem æmuletur, simulque delectationem eruditioni utilitatique conjunctam profiteatur, ac toti literariæ rei decus & ornamentum adferat longe maximum.





INDEX



INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI II.

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

Ar-

B.

C.

Gram-

H.

I.

Imi-

L.

M. Mes-

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

Re-

S.

Caus-

De

Vo-



201605

D.

E.

F.

G.

Gram-

H.

I.

Imi-

L.

La-

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

Re-

S.

Caus-

Vo-

